

www.e-rara.ch

Strabonis ... Rerum geographicarum commentarii libri septemdecem

Strabo

Basileae, 1571

Eisenbibliothek Schlatt

Shelf Mark: EM/Rb 742

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-61125>

[Liber decimustertius.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

STRABONIS RERVM GEOGRA-

PHICARVM LIBER DECIMVS.

TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Tertiusdecimus liber Asia, reliqua Propontidis continet, inferius à Cyzico incipiens, & totam deinceps consequentem oram, & si qua insulae insunt, praesertim circa Troiam (quanquam deserta sit) propter loci claritatem, & uulgatam belli famam immoratur.



Actenus ergo descripta nobis esto Phrygia. Reuertamur nunc ad Propontidem, & oram maritimam quae deinceps ab Aesepo est, ac eodem ordine omnia peragemus. Troas prima est in hac ora. cuius celeberrima fama, quanquam diruta & deserta, non leuem tamen multa dicendi materiam suggerit. Quo loco uenia nobis petenda est, mouendusque lector, ne causam prolixitatis imputet nobis potius, quam ijs, qui uehementi tenentur desiderio nobilia & antiqua cognoscendi. conferunt

Vide supra folio 624. Tabulam Asiae.

ad eam aliquid etiam cum multitudo eorum qui in istis locis sedes posuerunt Graeci atque barbari: tum scriptores, qui neque eadem omnes, neque perspicue omnia perhibuerunt. quorum inter primos est Homerus, coniectandi de plerisque ansam praebens. cuius, itemque aliorum dicta nobis censenda sunt: ubi prius in summa locorum naturam eorum descripserimus.

Post Cyzicenam & Aesepo adiacentem regionem & Granicum, usque ad Abydum & Sestum ora Propontidis maritima porrigitur. Ab Abydo autem usque ad Lectum, Ilium est, & Tenedus, & Alexandria ac Troas denique. quibus omnibus imminet Ida mons usque ad Lectum pertinens. A Lecto usque ad Caicum fluuium & Canas quae uocantur, Assus sunt, & Atramyttium, & Atarneus, & Pitane, & Elaiticus sinus. quibus omnibus ex aduerso Lesbos insula protenditur. Cuma deinde est, & reliqua usque ad Hermum fluuium & Phocaeam, quae initium est Ioniae, finis Aeolidis. Hic cum sit regionis situs, Homerus ab Aesepo uicinis locis & ei quae nunc Cyzicena dicitur Troes potissimum imperasse inuuit usque ad Caicum amnem: diuisa eorum ditione in octo, aut etiam nouem portiones. reliqua auxiliatorum multitudo, in sociorum recensione dinumeratur. Posteriores finibus iisdem constitutis, uocabula usurpant immutata, & in plures sectas abeunt. Praecipue autem Graecorum coloniae dissensionum materiam praebuerunt. minus quidem Ionica, utpote à Troade longius distans. Aeolica autem uel maxime, quae se per totam dispersit oram à Cyzico ad Caicum usque, ac praeterea magnam partem eorum occupauit quae intra Caicum sunt & Hermum fluuios. Etenim traditum est, Aeolicam coloniam quatuor aetatibus Ionica priorē fuisse, & moras traxisse, ac longius tempus. Principem deducendae coloniae fuisse Orestam. ei in Arcadia uiuis exemplo, Penthilum filium successisse, & progressum esse in Thraciam usque, LX annis post excidium Troiae, quo ipso tempore in Peloponnesum redierunt Herculis posterii. Deinde Archelaum Penthili filium coloniam Aeolicam traduxisse in eam quae nunc Cyzicena est circa Dascylium. Graum porro filium huius natu minimum usque ad Granicum flumen progressum: cumque se melius instruxisset, maiorem exercitus partem in Lesbum traiecisse, atque hanc obtinuisse. Caterum Cleum Dorii filium & Malaum, ipsos quoque Agamemnoniae stirpis, eodem quo Penthilus tempore exercitum conduxisse. sed Penthili copias occupauisse in Asiam transire, alteros in Locride & apud Phricium montem multum temporis traxisse: postmodo traiecisse in Asiam, & Cumam condidisse, à Locridis monte Phriconidem dictam. Ergo cum Aeolenses per totam sint dispersi eam regionem, quam a poeta Troicam uocari diximus: posteriorum alij totam eam Aeolidis nomine afficiunt, alij partem eius: itemque Troiam alij totam, alij partem. neque inter se quidquam ijs conuenit. Satim de ipsis ad Propontidem locis, Homerus ab Aesepo Troadis facit initium: Eudoxus ab Artace & Priapo; cui Artace in Cyzicenorum insula oppo-

Ora maritima à Propontide ad Ioniā descriptio.

Colonia Graecorum Aeolica & Ionica.

Troas. seu Troia describitur.

la oppo-

la opponitur, arctius contractis finibus Troadis sumit. Damastes etiam magis, à Pario eam incipiens. Atque hic quidem usque ad Lectum producit: alij aliter. Charon Lampfacenus alia ccc stadia aufert, à Præctio initium ei ponens, quod tot abest à Pario, quot dixi, stadijs. Sed ad Atramyttium usque producit. Scylax Caryandensis Abydum initium facit. Idem de Aeolide est factum, quam Ephorus Abydò & Cuma terminat: alij aliter. Eius quæ uerè Troia dicitur, optimè describit situm Ida, mōs excelsus, qui occasum spectans & mare quod ab ea est parte, paululum se conuertit uersus septentrionem & quod ea est mare. hoc est Propontidis pars à faucibus Abydenis ad Aesepum & Cyzicenam. occiduū uerò latus claudit Hellespontus, & pōst Aegæum pelagus. Cū autem multos pedes habeat Ida prominentes, & scolopendram forma referat, his duobus extremis terminatur promontorijs: uno quod ad Zelam pertinet, altero Lecto. prius in mediterranea desinit haud multum supra Cyzicenum agrum: (hodie quidem Zelea Cyzicenorum est.) posterius in mare Aegæum exit, legiturque ab ijs qui à Tenedo in Lesbum nauigant.

Iliad. f. 283.

Mox ad abundantem uenerunt fontibus Idam

Altricemq; ferat. & ubi uestigia Lecto

Imposuerē, mari uadunt per sicca relicto.

nimirum Venus & Somnus.

¹ Quibus uerbis Homerus Lectum propriè describit, tum quod Ida sit, tum quod eam ad Idam ituris ibi prima sit extensio. & quod eam multas habere scaturigines dixit, eò pertinet, quod ea in parte maximè abundat aquis Ida. idq; docent fluuij

Iliad. p. 20.

In mare qui magnè currunt de montibus Idæ,

Refususq; Heptaporusq; —

& alij quos commemorat, & qui à nobis hodieq; cerni possunt. Enumeratis uerò extremitatibus ac pedibus quasi Idæ, Lecto inquam, & eo qui est ad Zelam: conuenienter etiam 2 summitatem eius commemorat Gargarum. nam etiamnum in superioribus Idæ partibus Gargarum locus nominatur, ubi nunc Gargara sunt, urbs Aeolica. Inter enim Zelam & Lectum primæ sunt Troadis partes à Propontide usque ad fauces ad Abydum. inde sunt extra Propontidem sita usque ad Lectum. Vbi cursum circa Lectum flexeris, magnus effunditur sinus, quem Ida facit à Lecto uersus continentē declinans. ad hunc sunt etiam Canæ, ab altera sinus parte oppositum Lecto promontorium. sinum alij Idæum uocant, Atramyttenum. In hoc deinceps tractu usque ad ostiarum Hermi, urbes Aeolidis sunt ut diximus. Id quoque supra dictum est, ijs qui à Byzantio nauigant uersus meridiem, iter esse ad rectam lineam initio ad Sestum & Abydum per mediā Propontidem. deinde propter Asiæ oram maritimam, usque ad Cariam. Atque adeo id obseruare oportet quod nūc ponimus, eos qui sequentia legunt. ut cū sinuum faciemus mentionem in ipsa isthac ora: promontoria intelligant dici à quibus isti conficiuntur, in eadem sita linea ueluti quodam meridiano. Sanè ex ijs quæ poëta dixit, ij quibus harum rerū cura subit, coniiciunt totā istam quam nauigando legunt oram Troibus fuisse subditam, in nouem distinctam prouincias, quæ tempore belli Troiani omnes paruerint Priamo, ac Troiæ nomen gesserint. Id liquere de singulis. Nam Achilles cum suis ab initio uidens muris defendi Ilienses, aggressus est foris bellum facere, & eo in orbem circumlato. ijs suam ditionem adimere.

Iliad. 17. 328.

Bis sex uastati semel usus nauibus urbes,

Et terra totidem, minus una: Troia cunctæ

Sceptra uerebantur. —

Troiā hanc appellat continentem ab eo populatam: Alibi etiam uastata sunt loca Lesbo opposita, circa Theben, Lynessum, & Pedasum quæ Lelegum fuit: & Eurypyliditio, qui filius fuit Telephi. unde hæc de Neoptolemo

Odyss. λ 518.

Qualis, Telephiden ferro cum strauit acuto

Eurypylum heroem.

Hæc ergo uastata ait. & Lesbū ipsam

— cepit pulcrā quo tempore Lesbū. &

Vastate

Vastavit Lyrnessum & Pedasum — &
Lyrnessum populatus, & altæ mœniâ Thebæ.

Iliad. v. 92.

ē Lyrnesso Briseis abducta fuit:

Iliad. β. 691.

Captam ē Lyrnesso quam duxerat. —

ibid. 690.

cū quidem Mynetem & Epistrophum ait poëta interfectos. idē indicat Briseis Patroclum lamentans

— neque me plorare sinebas,

Cū meus à forti est occisus Achille maritus,

Iliad. γ. 295.

Atque urbs magnanimi fuit evastata Mynetis.

quibus uerbis Lyrnessum notat, quæ Mynetis imperio paruerit, qui & pro ea propugnans occubuerit. E' Theba autem Chryseis abducta fuit.

Appulimus Theben, urbem sacram Eetionis.

Iliad. κ. 366.

nam inter ibi captas numeratur Chryseis. Iam illud non putant ita ut scriptum est, intelligi debere.

Tu sanè in Troia Priami prognatus in arce;

Ipsa autem Thebis —.

Iliad. λ. 488.

Item alibi est:

Magnanimi proles pulcra Andromache Eetionis.

Iliad. μ. 395.

Eetion habitabat Hypoplacon is nemorosam,

Thebam ad Hypoplaciam, Cilices sceptroque regebat.

Hæc ergo secunda est Troum ditio, post eam quæ Myneti paruit. Atque huc quadrant uerba Andromachæ

Hæctor, me miseram. usque eadem nos fata tulerunt.

Tu sanè in Troia Priami prognatus in arce,

Iliad. λ. 488.

Ipsa autem Thebis. —

exponunt autem uerborum traiectione. ut sit sententiâ, utrumque in Troia natum. Hæctorem in domo Priami, Andromachæ Thebis. Tertia Troiæ ditio fuerunt Leleges.

Altis, qui Lelegum fuerat regnator. —

Iliad. φ. 86.

cuius Altæ filiam habuit Priamus, & ex ea genuit Lycaonem ac Polydorum. Iam hi quidem, qui in recensione sub Hæctore ponuntur, Troës dicuntur:

Troës ducebat galea notissimus Hæctor,

Et sub Aenea:

Iliad. ς. 816.

Dardanios satus Anchisa ducebat,

qui & ipsi Troës erant. inquit enim:

ibid. 819.

Aenea, Troum consultor —

Iliad. υ. 83.

Sequuntur Lycij sub Pandaro: quos & ipsos uocat Troës.

Quique Zelam habebant sub radicibus Idæ,

Iliad. ς. 824.

Aphniji, Aesepi nigros laticesque bibebant

Troës: Pandarus hos ducebat. —

Hæc sexta est Troiæ ditio. Quin & qui inter Aesepum & Abydum sunt, Troës sunt.

Nam Asio parere dicuntur Abydo uicini.

Tum qui Percoten, qui Prætion incoluerunt;

ibid. 835.

Qui Sestonque & Abydum, & Arisbæ mœnia claræ:

His erat Hyrtacides dux Asius: —

Atqui apud Abydum Priami Spurius degebat, equas pascens: nimirum paternas.

Sed Priamo genitore nothum mox Democoonta

Iliad. ς. 499.

Sternit. nuper æquas ad Abydum pascere suetum.

Percotæ autem Hicetaonis F. boues pascebat, ne is quidem alienas.

Primum Hicetaonidem uerbis incessit acerbis

Iliad. ο. 546.

Robustum Melanippum. armenta is pauerat ante

Lata bouum prope Percotam. —

Itaque hæc etiam Troas est, & quidquid sequitur usque ad Adrasream. nam ei præerant duo filij Meropis Percosij. Omnes ergo qui ab Abydo Adrasream habitant usque, Troës sunt.

sunt: in duas diuisi tamen partes, quarum alteri Asius præerat, alteri Meropis filij. Sicut & Cilicia duplex fuit, una Thebaica, alia Lyrnessia. in qua censeripotest etiam Eurypyliditio, continuo sequens Lyrnessidem. His autem omnibus imperasse Priamum, uerba ad hunc Achillis aperte demonstrant.

Iliad. w. 543.

Te quoque tot quondam regnis populisque beatum
Audio. qui Macaris sedes quæcunque coercet
Lesbus, quæque supra Phrygia, & latus Hellesponti
Immensi includunt, ampla ditione teneres.

*Troadis descri-
ptio.*

Ista igitur tempestate Troia talis fuit. Inciderunt postea mutationes omnis generis. Nam quæ circa Cyzicum sunt, Phryges occupauerunt usque ad Præcium: quæ circa Abydum, Thraces atque ante utrosque Bebryces & Dryopes. Quæ deinceps sunt, Treres ipsi quoque Thraces. Thebes campos Lydi, qui tum dicebantur Mæones, & Mysorum qui olim sub Telepho & Teuthrante fuerant reliquæ. Cum ergo poeta hoc pacto Aeolidem & Troiam in unum contraxerit, & Aeolenses totam regionem ab Hermo usque ad Cyzicenulitus occupauerint, urbesque condiderint: ne nos quidem inepte coniunctim ista describerimus, componentes eam quæ nunc Aeolis dicitur ab Hermo usque ad Lectum, cum ea quæ deinceps est usque ad Aesepum. Singulis enim exponendis rursum eas distinguemus: conferentes cum his quæ nunc sunt; ea quæ ab Homero & alijs dicuntur. Proinde post Cyzicum & Aesepum initium est Troadis de Homeri sententia. Sic enim de ea loquitur.

Iliad. l. 824.

Quique Zelaan habebant sub radicibus Idæ
Aphnisi, Aesepi nigros laticesque bibebant
Troës: Pandarus hos ducebat. —

eisdem autem Lycios etiam uocat. Aphnæos dici censerent ab Aphnitiide lacu, quasi idem est Dascylitis. Zela in ultimis Idæ radicibus, à Cyzico abest stadia cxc: à proximo mari in quod se exonerat Aesepus, ferè xxc stadia. Statim deinde oram maritimam quæ post Aesepum est diuidit.

ibid. 828.

Quique Adrastam tenuere, & Apæsia rura,
Et Pityæan, Teræ montemque peraltum:
His Adrastus & Amphius simul imperitabant,
Fratres, & Meropis florens Percosia proles.

Hæc loca Zelæ sunt subiecta: habentur autem à Cyzicenis & Priapenis usque ad litus. Apud Zelam fluuius est Tarsius, xx habens in eadem uia transitus. qualis etiam ab Homero nominatur Heptaporus. Alius à Nicomedia Nicæam fluens, xxiv. multos etiam qui è Pholoa in Eleam labitur, Scarthon xxv. multos qui è Coscinijs Alabanda usque. Lxxv qui Tyanis Solos per Taurum exit. Supra Aesepi ostia, ad stadia circiter

* tumulus est, in quo sepulcrum ostenditur Memnonis, Tithoni F. propè etiam Memnonis est pagus. Inter Aesepum & Priapum Granicus fluit, maiori parte per Adrasteæ campum. Ad hunc amnem Alexander satrapas Darij prælio deuicit, ac quidquid Asiæ est intra Taurum atque Euphraten, suum fecit. Ad Granicum sita fuit urbs Sidena, multum habens agri cognominis. nunc diruta est. In confinio Cyziceni ac Priapeni agri locus est Harpagda, unde abreptum Ganymedem est in fabulis. alij è Dardanio raptum perhibent promontorio, quod Dardano est uicinum. Priapus urbs est maritima cum portu. quidam à Milesijs conditam aiunt eodem quo Abydum & Proconnesum tempore. alij à Cyzicenis. nomen habet à Priapo qui ibi colitur. siue id sacrum ab Orneis Corintho uicinis eo delatum est: siue quod eum, ut qui Bacchi ac Nymphæ F. pro deo haberetur, uenerari ceperunt homines. Nam uitibus & hæc regio abundat, & deinceps finitima Parianorum atque Lampfacenorum. Xerxes quidem Lampfacum Themistocli dedit, ut uinum inde perciperet. Recentiores Priapum deorum in censum retulerunt. non enim nouerat Hesiodus Priapum: sed similis Atticorum uidetur dijs, Orthanæ, Conissalo, Tychoni. Regio ea uocabatur Adrastea, & campus Adrasteæ: more quodam recepto, ut duo uni loco nomina essent. sicut Thebe, & Thebes campus, itemque Mygdonius campus. Callisthenes Adrasteam ab Adrasto rege denominatam ait, qui primus Nemesei templum posuit. Sita est urbs inter Priapum & Parium, subiecto eiusdem nominis

minis campo. in quo etiam oraculum fuit Apollinis Actæi, & Dianæ, secundum Pyca-
tam. sed in Parium omnis apparatus ac saxa translata sunt, templo destructo, & adifica-
ta Parijara, Hermocreontis opus mole ac pulchritudine admodum memorabili. ora-
culum defecit, ut & quod Zelæ fuit. Caterum hic Adrasteæ nullum, Nemeseos nul-
lum uisitur templum. Apud Cyzicum est Adrasteæ sanum. Antimachi uero sunt hæc:

Est quædam Nemesis, numen graue: cuncta dederunt

Sorte illi superi. Cui primus condidit aram

Aesepi tumidum prudens Adrastus ad amnem.

Hic sacris colitur dea, & Adrastea uocatur.

Parium quoque urbs est ad mare, portum habens quam Priapus maiorem. & quidem Parium.
rebus Priapenis. aucta est. nam Pariani Attalicis regibus operam suam nauantes, quibus
suberat Priapena, illorum permisso multa huius ad se traxerunt. Ibi locorum fabulan-
tur Ophiogenes (id est Serpentigenas.) esse, qui cum serpentibus quandam habeant
cognitionem. nam mares eorum medicari aiunt ijs qui a uipera morfi sunt, continenter
tangendo tanquam incantatores solent, ac primum in se transferre liuorem, deinde in-
flammationem etiam doloremque sedare. Ferunt principem eius generis e serpente in he-
roem fuisse mutatum. fortasse unius e Pysyllis Afris fuit, facultas ea aliquandiu eo in gene-
re mansit. Parium condiderunt Milesij, Erythraei, & Parij insulares. Pityda est in Pity-
unte Parij agri, supraque eam mons est pinuum ferax. sita est inter Parium & Priapum, pro-
pter Linum maritimum locum, ubi cochleg Linusiae omnibus prestantes alijs capiuntur.
In mari quod a Priapo Parium euntes nauigant, antiqua est Proconnesus, itemque noua,
urbem habens, & fodinam lapidis albi ualde laudati. itaque earum quæ isthic sunt urbi-
um opera, ac præcipue Cyzici, ex eo sunt lapide. Proconnesius fuit & Aristeas, autor car-
minum quæ Arimaspe dicuntur, præstigijs nemini secundus. Iam Rheæ montem alijs
montes aiunt esse in Ptoisso, quos Zelæ contiguos habent Cyziceni: in quibus regia ue-
natio parata fuit Lydis, ac deinde Persis. alijs XL a Lampfaci stadijs collem ostendunt: ubi
matris deorum templum est, quod Rheæ sacrum dicitur. Sed & Lampfacus mari immi- Lampfacus.
net, urbs bonitate portus alijsque rebus memorabilis, & adhuc bene constans: ut & A-
bydus, a qua ad CLXX stadia abest, ante Pityusa dicta fuit: quod nomen Chio etiam fuisse
aiunt. E regione in Cherroneso oppidulum est Callipolis, situm in acta quæ longè exten-
ditur uersus Asiam & Lampfacum, ita ut traiectus non sit amplior XL stadijs. Inter Lam-
pfacum & Parium Pæsus fuit urbs, ac fluuius. Vrbe diruta, Pæsani Lampfacum commi-
grauerunt, Milesiorum, tam ipsi quam Lampfaceni colonia. Poëta & Pæsum dixit, & A-
pæsum.

— & Apæsia rura. &:

Pæsum qui locuples habitabat. —.

Nomen fluuii hodie idem: Milesiorum colonia etiam sunt Colonæ supra Lampfa-
cum in Lampfaceni agri mediterraneis. Aliæ sunt ad exterum Hellesponti mare, ab Illo di-
stantes stadia CXL. inde Cygnum fuisse tradunt. Anaximenes etiam in Erythræa habe-
ri Colonas perhibet, & in Phocide, inque Thessalia, in agro Pariano est alba Colone. In a-
gro Lampfaceno locus est uitis bene confusus, nomine Gergethium. Fuit & urbs Ger-
getha, a Gergethis in agro Cumano. nam & ibi fuit urbs plurali numero ac foeminino ge-
nere dicta Gergethes. patria Cephalonis Gergethi, atque etiamnum in Cumano so-
lo monstratur Gergethium ad Larissam. Parium protulit Neoptoleum, cognomento
glossographum, uirum memoria dignum. Lampfaceni fuerit Charon historiae conscri-
ptor, Adamantus, Anaximenes rhetor, & Epicuri socius Metrodorus. quin & ipse Epi-
curus quodammodo Lampfacenus fuit: qui & commoraretur Lampfaci, & præstantissi-
morum ibi uirorum uteretur amicitia, Idomeneo & Leonteo. Hinc transtulit Agrippa
leonem collapsum, Lysippi opus. reposuitque in luco qui inter paludem est & Euripum.
Post Lampfacum Abydus est, & interiacentia loca. de quibus ita locutus est poëta, ut si-
mul Lampfacenum agrum, & Pariani nonnihil complecteretur. ita enim urbes habebant
tempore belli Troiani.

Tum qui Percoten, & Prætion incoluerunt,

Qui Sestonque & Abydum, & Arisba moenia claræ.

Ilia. 6. 828.

Ilia. 6. 612.

Ilia. 6. 835.

R Dux

Dux his Hyrtacides erat Asius. —

& addit,

Asius Hyrtacides, ab Arisba grandibus ille, ac

Fulvis uectis equis, à flumine Selleente,

quibus uerbis uidetur Arisbam Asiæ regiam facere, inde eum profectum dicens. Hæc autem loca ita nunc sunt in obscuro, ut minimè conueniat inter eos, qui de ijs nar- rant. nisi hoc, fuisse ea circa Abydum, Lampfacum, & Parium: cui loco antiquitus no- men fuerit Percote. De fluuijs, Selleentem quidem ad Arisbam fluere dicit poëta: quā- do Arisba profectus est Asius à flumine Selleente. Prætius uerò amnis est (urbs eo no- mine non inuenitur: quod falsò quidam putauerunt.) inter Abydum fluens & Lampsa- cum. illud ergo

—Prætion accoluerunt:

de flumine accipiendum est. ut & illa

Iliad. B. 521.

Cephissi quæ sacras sedes habuere prope undas.

&

ibid. 854.

Circa Parthenium flumen quæ tecta fuit.

Fuit etiam in Lesbo urbs Arisba: cuius solum Methymnæi tenent. Est & Arisbus fluuius Thraciæ, ut dictum fuit, ac iuxta eum Cebrenij Thraces. Multa sunt nomina Thra- cibus cum Troibus. ut Scæi sunt Thraces quidam, & Scæus fluuius, Scæus murus: & in Troiæ Scææ portæ. Xanthij Thraces, Xanthus Troiæ amnis. Arisb. in Hebrû incidēs. Arisba in Troia. Refus Troiæ fluuius, & Thracum rex Refus. Est etiam Asio cogno- minis alius Asius apud Homerum,

Iliad. 7. 717.

—equestris aurunculus Hectoris ille,

Germanus frater quæ Hecubæ, natus quæ Dymante,

Diues Sangarium Phrygiæ quæ habitator adamnem.

Abydus.

Abydus à Milesijs condita est, permissu Gygæ Lydorum regis: cuius potestati ista lo- ca, & Troas suberant. Sed & promontorium quoddam apud Dardanum, Gyges nomina- tur. Abydus imminet ori Propontidis & Hellesponti. distat eodem spacio à Lampfaco & Illo, stadijs circiter CLXX. Ibi fretum est septem stadiorum, quod Xerxes ponte iunxit, quoque Asia ab Europa dirimitur. Europæ extremitas ob figuram Cherronesus dicitur, * id est peninsula, fauces quæ ad iuncturam illam efficit, quæ Abydo opponitur. Sestus op- tima est urbium, quæ in Cherroneso sunt: & ob uiciniam sub eodem quo Abydus duce ponitur. cum ea ætate continentis partes & prouinciæ nondum essent distinctæ. Abydus & Sestus inuicem distant à portu ad portum distant stadia ferè xxx. pons est si ab urbe paululum discedas: ab Abydo uersus Propontidem, à Sesto in diuersum. Ad Sestum locus ab exscendendo è nauibus Apobathra dicitur, quo loco ratis litora iunxit. Sestus inferius est ad Propontidem, superius amne qui ad eam est. Ideoque facilius à Sesto trañciunt paululum deflexa nauigatione ad Herus turrim, atque inde nauigia di- mittentes, adiuvante etiam fluxu trañctum. qui ab Abydo trañciunt, in contrariam fle- ctunt partem ad 11 x stadia ad turrim quandam eregionè Sesti: hinc oblique trañciunt, non prorsus contrario fluxu. Abydum post Troica tenuerunt Thraces, inde Milesij. In- ter urbes autem Propontidis quas Darius Xerxis pater incendit, etiam Abydus conflag- rauit. fecit hoc Darius, quod è Scythia reuersus inaudiuisset Nomades se parare ad transeundum aduersus ipsum, pœnas quæ maleficiorum exigendum: metuens ne urbs eæ exercitui eorum trañciendo nauigia concederent. eaq; est causa confusionis locorum. De Sesto & tota Cherroneso à nobis est dictum in Thracia. Theopompus Sestum ait exiguam quidem, sed probè munitam esse, & duorum iugerum muro cum portu con- nexam. itaque cum ea de causa, tum ob fluxum præter nauigationem in sua habere po- state. Supra Abydenum agrum in Troade sunt Astrya, urbs diruta, nunc Abydenorum. olim pro se erat, & aurum metallum habebat: quod exhaustum nunc est & raro dat: ut & Tmoli ad Pactolum. Ab Abydo ad Aesepum, stadia feruntur 1000. si quis rectè nauig- et, pauciora. Extra Abydum, Ilium iam est, & reliqua usque ad Lectum ora maritima, adque Idam montem sita regio, quæ Aeneæ paruit. Hanc dupliciter nominat Homerus. aliàs Dardanos incolas dicens:

Iliu Dardania.

Darda-

Dardanos satus Anchisa ducebat in armis

Aeneas. — alias Dardanos.

Iliad β. 891.

Troesq; & Lycij, & bello acris Dardana pubes.

Probabile est, ibi sitam fuisse antiquitus sitam quæ à poëta nominatur Dardaniam.

Iliad α. 425.

Principio Iouis est e semine Dardanus ortus,

Urbem Dardaniam qui condidit. —

Iliad v. 215.

nunc quidem ne uestigium urbis ibi restat. Coniicit Plato post diluuiâ tres uitæ de-
genda formas exstitisse. Primam in summis montium, simplicem & agrestem: metuenti-
bus aquas hominibus etiamnum campos tegentes. alteram ad radices montium, paula-
tim recepto animo, cum campi etiam resiccati cepissent. tertiam in planis. adde his posse
uidentur quarta etiam, & quinta: ultima autem omnium, habitandi in ora maritima &
insulis, omni iam metu demto. Quod enim homines magis minus uel ausi sunt accede-
re ad mare, eò plura notari possunt genera ciuitatum & morum: utpote bonorum, forti-
um, & qui ad mansuetudinem se paulatim dederint. Est etiam in his discrimen rustico-
rum, semirusticorum, ciuiliū. unde etiam ad urbanorum & optimorum morum appel-
lationem ad extremū nomen ciuitatis transijt, mutatis in melius moribus pro uitæ ratio-
nis atque locorum mutationibus. Hæc Plato discrimina ait ab Homero notari, atque e-
um pro exemplo primæ formæ posuisse Cyclopum uitam. qui fructus sponte natos car-
perent, inq; summis montibus ac speluncis habitarent.

3 de Leg.

*De mutationib.
generū uiuendi.*

His sine semente atque usu nascuntur aratri

Omnia. — & mox

Odys. 17. 109.

Curia non illis, leges uel, aut dictio iuris.

Sed celsos habitant montes, glabrasque cauernas

Summis uerticibus. tum prætor quisque suorum est;

Vxores natosque regens propriam ipse, domumque.

Secundæ in Dardano,

Urbem Dardaniam qui condidit: Illos illo

Tempore cum nondum campis urbs sacra fuisset

Constructa in planis, sed adhuc radicibus imis

Idæ Dardana gens habitaret montis aquosi.

Iliad v. 216.

Tertiæ sub Illo, qui campos occupauit. Hunc enim Illy conditorem perhibet, à quo
& nomen urbi sit factum. ac probabile est ideo in medio sepultum fuisse campo, quod
primus ausus fuisset sedes in campo ponere.

In medijs campis, Illy ad præci monumentum

Dardanidæ Atrides palantes Troas agebat.

Iliad λ. 166.

Quamquam ne is quidem prorsus planicie confidebat. Non enim ibi fundauit ur-
bem ubi nunc est: sed xxx fere stadijs supra uersus ortum & Idam, ac Dardaniam: ubi
nunc est Iliensium pagus. Nostra autem ætate Ilienses arrogantius suam urbem præcam
Ilium esse autumantes: refelluntur ab ijs qui ex Homero argumenta ducunt. non enim
apparet eam esse, quæ huius tempore fuit. Alij etiam narrant sæpius urbem hanc locum
mutauisse: & tandem ibi positam, ubi nunc est, maximè oraculi iussu. Has ergo locorum
mutationes, quæ tum euenerunt migrantibus subinde ad humilia hominibus, arbi-
tror etiam uiuendi & ciuitatis administrandæ rationis discrimina designare. uerum hæc
etiam aliâs considerata sunt. Ilium quod nunc est, aiunt antea pagum dūtaxat fuisse,
& habuisse exiguum ac uile templum Mineræ. Alexandrum autem Magnum, cum
à pugna ad Granicum eò adscendisset, cum donarijs ornasse locum, tum nomine urbis
ornasse, & procuratoribus suis mandauisse, ut substructionibus eam reficerent: inter li-
beras quoque & tributum immunes retulisse, deinde Persatis debellatis epistolam ad e-
os scripsisse humanè, qua pollicebatur se urbem hanc facturum magnam, & tem-
plum illustrissimum conditurum, sacrumque certamen instituturum. Mortuo Alexandro
Lysimachus præcipuè eius urbis curam suscepit, templumque condidit, murosque urbem
cinxit xl circiter stadiorum, & in eam commigrare iussit circumiacentes urbes antiquas,
iam ruinam trahentes. Quo quidem tempore Alexandream etiam curandam sibi duxit:

R 2 quæ,

quæ iam Antigono condita, & Antigonía appellata, nomen mutauit. Pietatis enim hoc uidebatur esse, ut qui Alexandro successissent, huic prius, postea demum sibi cognomines urbes conderent. & quidem hæc Alexandria durauit & creuit: nunc etiam Romanorum coloniam excepit, & est una de urbibus nobilibus. Caterum quod nunc est Ilium, oppidum pago simile fuit, quando Romani primum in Asiam uenerunt, Antiochumq; Magnum Asia quæ intra Taurum est expulerunt. Sanè Demetrius Scepsius puerum se sub id tempus ait in eam urbem peregrè uenisse, atq; ita neglecta uidisse domicilia, ut ne tecta quidem imbricibus coctis integerentur. Hegesianax scribit, Gallos cum ex Europa in Asiam traiecissent, & munito loco opus haberent, in eam adscendisse urbem: quia uerò muris careret, statim eam deseruisse. Deinde admodum in meliorem est redacta forma. Rursus eam Romani qui cum Fimbria erant adfluxerunt, expugnatam bello Mithridatico. Fuit is Fimbria quæstor missus consule Valerio Flacco, qui dux aduersus Mithridatem belli erat creatus. consule autem per seditionem cum interfecisset in Bithynia, ipse exercitus dux factus, ad Ilium accessit: oppidanisq; eum, utpote latronem, non recipientibus, re cum ariolo communicata, oppugnatione aggressus, urbem undecimo die cepit. Cum quidem iactanti, quod intra undecim dies in potestatem suam redegit eam urbem, quam Agamemno cis nauis classe & totius Græciæ exercitu instructus non nisi ægrè decimo cepisset anno: quidam Iliensium sic respondit. Non enim erat nobis Hector qui pro urbe propugnaret. Fimbriam quidem Sylla superueniens e medio sustulit, & Mithridatem certas pactum conditiones in patriam amandauit. Ilienses multis beneficijs refecit atque consolatus est. Nostra ætate D. Cæsar longè maiorem eius procurationem gessit, simul & Alexandrum imitans. Is enim & ut cognitionem renouaret sibi cum Iliensibus, intercedentè animum ad eorū patrociniū appulit: & quia Homeri erat studiosus. Etenim fertur quædam emendatio poëseos Homericiæ, quæ e narthecio Alexandri appellatur, posterior Callisthenis & Anaxarchi correctionibus. cum singula Alexander perlegisset, ac quædam adnotasset, codicemq; postea in narthecium deposuisset. quod scrinium in gaza Persica repererat preciosè admodum comparatum. Itaque & poëtæ studio, & cognatione Aecidarum qui in Molossis regnum gesserant, apud quos narrant fuisse reginam Andromacham Hectoris quondam uxorem, cum Iliensibus ob notissima faueret gentilitatis aduersus ipsos indicia: acriter animum appulit ad eos beneficia ornandum. Notiora autem, primum quod Romanis *
Romani Aeneam gentis suæ principem ponunt. Iulius à Iulo quodam suorum maiorum: hic ab Iulo nomen habuit, qui unus Aeneæ propugnatorum fuit. Itaque & agrum ijs Cæsar attribuit, & libertatem, publicarumque operarum immunitatem eis seruauit. qua conditione etiamnum manent. Non fuisse autem ibi locorum sitam antiquam Ilium, quæ tempore Homeri fuit: hisce colligunt argumentis. Prius tamen loca oræ maritimæ describamus: inde facto initio, ubi substiteramus.

Dardania. Post Abydum est Dardanium promontorium, cuius paulò antè fecimus mentionem: & urbs Dardanus, LXX stadijs ab Abydo remota. Inter has Rodius effluit fluuius. contra cuius ostia in Cherroneso est Cynos fema (canis monumentum.) quod sepulcrum Hecubæ esse dicunt. Sunt qui Rodium ab Aesepo excipi dicunt. est sanè unus eorum qui ab Homero memorantur, ibi:

Iliad. µ. 20.

Refusque, Heptaporusque, Carefusq; Rodiusq;.

Ipsa Dardanus, urbs prisca, ita contemptui habita est: ut sæpe reges Abydum transfugerint, sæpe in pristinum remigrare locum iusserit incolæ. Ibi sunt congressi Cornelius Sylla Romanus imperator, & Mithridates cognomento Eupator: ac pacta inierunt de bello pace finiendo. Non procul inde est Ophrynum. ibi lucus Hectoris est loco conspicuo. ac deinde lacus Pteleos. Sequitur Rœteum urbs tumulo insita. eique contiguus litoreæ arenæ tumulus, Aecantium, quasi Aiaceum. ubi monumentum est Aiacis, & statua. Hanc cum sublatam Antonius in Aegyptum transfulisset: Rœteum sibi reddidit Augustus, ut & alijs. nam pulcherrima templorum donaria ille Aegyptiam ut demeretur auexerat, hic dijs ea reddidit. Post Rhœteum est Sigsum, urbs diruta, & statio nauium, & Achæorum portus, & eorundem castra, & palus nomine Stoma, atque

que ostia Scamandri. nam in campo concurrentes Simoïs & Scamander, multum terræ hauriunt & oræ aggerunt, cæcumq; os & lacus marinos ac paludes conficiunt. Ex aduerso Sigei promontori in Cherroneſo est Proteſileon & Eleûs, de quibus in Thracia dictum est. Totius à Rhœteo usque ad Sigeum & Achillis tumulum litoris longitudo est LX stadiorum, si recta nauiges. totum Ilîo subiacet: ab eo quod nunc est, ad portum Achillis circiter XII stadia distans: ab antiquo alijs xxx supra uersus Idæ partem. Achillis & templum est, & monumentum ad Sigeum: Patrocli etiam & Antilochi monumenta: ijsq; quæ omnibus, & Aiâci quoque Ilîenses rem sacram faciunt. Herculem non uenerantur, patriam ab eo euastatam cauſantes. Atqui, dixerit aliquis, Ilîum hic ita uastauit, ut postmodò euerſuris quanquam adſictam, urbem tamen reliquerit. ideoq; sic dixit poëta.

Ilîon euastans, uiduauit ciuibz urbem.

Ilîad. 6. 642.

Viduitas enim illa, defectus est uiroꝝ, non excidium. Illi autem funditus eam exciderunt, quibus ipsi diuinos habent honores. Nisi fortasse hoc proferunt, quod hi iustum bellum intulerunt: Hercules iniustum, propter equos Laomedontis. Cui rursus opponitur fabula, non horû causa id factum fuisse, sed quia exigeret mercedem de liberata à ceto Heliõna. Sed hæc mittamus: excidunt enim in refutationes fabularum, ac nos fortasse latent causæ credibiliores, quæ Ilîenses mouerunt ut alios honorarent, alios non. Videtur autem poëta Ilîum exiguam pronuciare in oratione de Hercule: siquidem

Sex solas naues ducens, agmenq; uiroꝝ

Paucorum, cepit tamen Ilîon. —

ibid.

atque de his uerbis apparet Priamum è paruo magnum, regemq; regum factum, quod diximus. Paululû ab hoc progressi litore ad Achæiû ueniunt, quod iâ continētis est Tenedo oppositæ. His ita se habentibus maritimis locis, cæpus Troicus supernè incumbit usq; ad Idam per multa stadia porrectus. Eius pars quæ ad montem sita est arcta, partim uersus meridiem protracta, usq; ad Scepsi uicina loca: partim uersus septentrionem, ad Lycios quorum est Zelsa. Hanc Homerus Aeneæ subiicit, & Antenoris FF. ac Dardaniam. Infra hanc est Cebrenia, campestris maxima sui parte, & ferè æqualibus spatijs distans undiquaque à Dardania F. Fuit & urbs Cebrene. Suspiciatur Demetrius, eò usque Ilîi regionem pertinuisse, quæ sub Hectore fuit, à Nauali usq; ad Cebreniam. nam & sepulcrum Paridis ibi ostendi ait, atque Oenones: quæ ante raptum Helenes uxor Paridis fuit. Mentio etiam fieri apud poëtam Cebriõis, quem spurium sustulerit Priamus: ac probabile est cognominem fuisse aut regionis, aut (quod magis uidetur uerò propinquum.) urbis. Cebreniam porro usq; ad agrum Scepsium pertingere. lîmitem esse Scamandrum, qui per medium horum labatur. Enimuerò inimicicias semper fuisse Cebrenijs ac Scepsijs: donec tandem eos Antigonus conduxit in urbem unam Antigoneam à se, postmodò Alexandream dictam. Ac Cebrenios quidem mansisse in ea quæ etiam nunc dicitur Alexandria, cum alijs ciuibz: Scepsios autem permissu Lysimachi in patriam reuertisse. Porro ab istis locis, & quæ ibi sunt Idæ montana, duas portendi ad mare conualles. unam rectà Rhœteum, alteram Sigeum uersus. quibus utrisq; conuallibus linea circuli dimidium repræsentans conficiatur. ea autem in campum desinant tanto à mari interuallo, quanto Ilîum nostræ ætatis abest. id enim esse positum inter fines istarum conuallium: antiquum fuisse inter initia inter has compræhendi Simoisiû campum, per quem Simoïs defertur: & Scamandrium, per quem Scamander. Atque hæc quidem planicies propriè Troica dicitur: & pleraq; pugnas ibi decertatas poëta facit. Est enim amplior: & quæ loca Homerus nominat, ferè ibi nominantur, ut uidemus. caprificetum inquam, seu Erineum: sepulcrum Aesyetæ, Batisam, & Ilîi sepulcrum. Fluij autem Scamander & Simoïs, cum alter ad Sigeum, alter ad Rhœteum appropinquarunt, paulo ante Ilîum quod nunc est conflunt, atque inde apud Sigeum in mare exeunt, lacumq; efficiunt cui Stoma nomen. Dictos campos ab utraque parte dirimit collis quidam collo similis, rectà à dictis porrectus conuallibus † ab eo quod nunc est Ilîum incipiens, cognatos ipsi. & ubi ad Cebreniam pertendit, ac litteram Y ad utramque conuallem collatus retulit. †. Paululum supra hæc, Ilîensium est pagus: quem putant antiquitus Ilîi non esse idē cum locum fuisse. stadijs xxx ab urbe quæ nunc est. Supra Ilîesem pagum decem stadijs, pul-

Troicus cæpus.

Ilîad. 6. 813. 793

Ilîad. 7. 166.

Ilîum antiquum

non esse idē cum

præſente demon

strat.

cra illa est Colone, tumulus quidam præter quem Simoïs fluit, ambitu stadiorum quinque. Ergo probabile est, quod de Marte dicitur.

Iliad. v. 51.

Parte alia resonans nigricantis turbinis instar

Excelsa Troas Gradivus ab arce uocabat,

Curibus ad Simoenta ruens, & Callicolonam.

Iliad. n. 430.

Nam cum pugna in Scamandrio depugnaretur campo, uerisimiliter Mars alias ab arce ad prælium Troianos exhortabatur, alias è locis quæ Simoenti essent uicina & Callicolona: quo usque etiam acies sese prolataste non est creditu absurdum. cum autem Callicolona ab Ilio distaret nostro stadia XL, quid proderat tanto spacio disita complecti loca, ad quæ instructæ acies non pertingerent? Iam quod ad Thymbra Lycij castra fortiti sunt, id antiquo Ilio rectius conuenit. Prope est enim campus Thymbra, & eum profluens amnis Thymbrius, ac in Scamadrum incidens iuxta Thymbrei Apollinis templum: I stadiis etiam a nostro Ilio distans. Erineus autem, asper locus & caprificis consitus, sub antiquum situs est Ilium. itaque conuenienter dixit Andromacha:

Iliad. f. 433.

Armatis acies tu constitue ad Caprificum,

Qua parte ad muros prompta est adscensio nostros.

ab ea quæ nunc est urbe, permultum abest. Fagus autem paulo inferior est Caprifico: de qua Achilles loquitur.

Iliad. i. 352.

Ipse ego cum Danaïs dum prælia ductor obui,

Noluit à muris Hector producere turmas:

Tantum usque ad Scæas portas, Fagumque subibat.

Sub fin. Iliad. n. 7

Porro Naustachmus, id est nauium statio, quæ nunc dicitur, ita uicinia est recenti. Ilio: ut mirari subeat alterorum dementiam, alterorum timiditatem. Græcorum inquam uacordiam, si tanto eam tempore siue muris tenuerunt, Ilio tam propinquo, tantaque Troianorum & sociorum multitudine in eo uersante. nam sub finem demum belli murus dicitur fabricatus: si tamen omnino factus est murus: quem Aristoteles ait ab ipso poëta ut factum ita delatum fuisse. Timiditatem Troianorum, si muro demum facto irruere & oppugnare eum ac naues aggressi sunt, stationem autem muro nondum cinctam ausi non sunt inuadere, non longè disitam. est enim statio ad Sigeuni: ponè etiam Scamandri sunt ostia, xx ab Ilio stadiis. Quod si quis dicat stationem fuisse eum qui nunc dicitur Achæorum portum, is propiorem dixerit quendam locum xii ab urbe stadiis. qui hodie campus est. cum totum istud sit terra à fluuijs congesta, atque ab urbe uersus mare *campi sit loco. ut si nunc xii sit stadiorum interuallum, etiam dimidio minus fuerit. Sed & narratio Ulixis ad Eumæum composita, Ilium longè à statione illa nauium abfuisse ostendit:

Odys. f. 469.

Insidias quando sub Troia struximus alta.

post enim dicit:

496.

Namque nimis longè progressi à nauibus usque

Huc sumus. —

Iliad. i. 210.

Mittuntur etiam è Græcis exploratum, an Troiani apud naues sint permansuri, ad quas procul à suis mœnibus auulsi peruenerant: an uerò in urbem retrò ituri.

Et Polydamas:

Iliad. o. 254.

Consultate uiri, mea uos si dicta mouebunt,

Mœnia nunc reperamus. —

Nam longè à muris processimus. —

Demetrius etiam Hestiam Alexandrinam testem adducit, quæ de Homeri Iliade aliquid conscripsit, & quæstionem hanc tractauit, An circa eam quæ nunc est urbem belatum fuerit, & an Troianus sit poëtæ campus, qui inter urbem & mare est. Etenim quod nunc ante urbem uisitur, id aggerem esse terræ inferioribus temporibus à fluuijs conuectæ. Politem quoque.

Iliad. f. 792.

Qui pedibus fretus pernicipibus, è monumento

Summo Aesyetæ senis obseruabat Achiuos,

fatuum fuisse, si hodiernum cum antiquo idè sit Ilium, nā ut maximè de summo specularetur tumulo, tamen longè sublimiore deloco speculari poterat ex arce, pari ferè interuallo:

uallo: neque ei celeritate pedum opus erat securitatis causa. nam v stadis abest tumulus Aesyetæ qui hodie monstratur iuxta viam qua itur Alexandream: Ne Hectoris quidem circa urbem cursus rationi esset consentaneus. nostrum enim Ilium ambiri non potest ob continens montis dorsum. Neque absurdum est, nullum exstare antiqui Ilij ue-
 litigium. Cum enim alia circum sitæ urbes euastatae, non omnino tamen dirutæ essent, hæc autem funditus euersa: omnes huius lapides ad refectionem illarum adhibiti sunt. Archaanactem quidem Mitylenæum aiunt ex Iliacis lapidibus Sigæum substruxisse. Id occupauerunt Athenienses, missi Phrynohe qui ex Olympico certamine uictoriam re-
 portauerat: cum Lesbij totam ferè Troadem sibi tanquam hæreditario iure uindicarent: qui & pleraque domicilia condiderunt, partim etiamnum durantia, partim abolita. Pit-
 tacus autem Mitylenæus, unus de septem sapientibus, cum classe aduersus Phrynonem profectus, bellum alternante in utraq; partem fortuna aliquandiu gessit. atque Alcæ-
 us poëta ait se in quadam pugna male acceptum, abiectis armis fuga sibi consuluisse. id-
 que ad præconem quendam mandasse, ut domi narraret, se quidem saluum esse, ceterum
 7 amisso clypeo, quem Athenienses dedicauerint Glaucopidi (.cœlia.) Mineruæ, inque
 eius fano suspenderint. Enimvero postea temporis Pittacus à Phrynone ad singulare
 prouocatus certamen, piscatorio usus apparatu eum excepit, anceps rete in eum conse-
 cit, itaque comprehensum tridente ac pugione confodit. Bellum ne sic quidem finitum,
 optatus à partibus Periander arbiter diremit. Mædaci accusat Timeum Demetrius, quod
 ille perhibuerit Periandrum ex Iliacis lapidibus aduersus Athenienses substruxisse A-
 chilleum, eoq; opitulatum Pittaco. nam munitionem quidem hanc Sigeo adiectam fu-
 isse à Mitylenæis: sed neque è tali lapide, neque Periandro autore, qui enim is arbiter de-
 lectus fuisset, qui se hostem facto ostendisset. Achilleum, ubi Achillis monumentum
 exstat, pagus est exiguus. Sigeum quoq; dirutum est ab Iliensibus, cum oppidanis nō be-
 ne fiderent. nam sub Iliensibus ora maritima postea fuit uniuersa usq; ad Dardanum: idq;
 etiamnum. Olim sub Aeolensibus fuerunt propemodum omnia. adeo quidem, ut Epho-
 rus etiam intrepidè totam ab Abydo Cumam usque oram Aeolidi adscripserit. Thucydi-
 des Troiam Mitylenæis ademptam ab Atheniensibus tradit bello Peloponnesiaco, duce
 Pachete. Id quoque Ilienses dicunt nostra ætate uiuentes, Ilium ab Achiuis captum nun-
 quam fuisse prorsus deletum. Locrenses quidem uirgines paulò post ceperunt Ilium mit-
 ti, more usitato. Atqui hæc non sunt Homerica. Nihil enim de uiolata Casandræ pudicitia
 apud Homerum inuenies. qui sub id tempus eam uirginem commemorat.

Iliad. x. 169.

Iliad. v. 383.

Vide Odyss. A. 500.

Iliad. 5. 448.

Iliad. 5. 92.
Iliad. 17. 459.

Odyss. 5. 309.

—necauit
 Othryonea, Cabeso illis qui fortè diebus
 Venerat ad bellum, sibi grandia præmia poscens.
 Casandræ Priami natarum principe forma
 Muneribus ductam nullis donis ue petebat.
 de ui facta uirgini, nulla apud mentio: neque hanc causam, ut iram Mineruæ ideò con-
 ceptam Aiaci naufragium & interitum attulisse dicit. sed hunc ut & Græcos reliquos o-
 mnes Mineruæ inuisum fuisse refert: quæ omnes odisset Græcos, polluto ab omnibus
 suo templo: eosq; à Neptuno ob uerborum iactantiam fuisse perditos. Locrides puellæ
 Persis demum obtinentibus mitti ceperunt. Ita quidem Ilienses narrant, Homerus autem
 disertè urbis deletionem exprimit.
 Tempus erit, sacra cum delebitur Ilios olim: &
 Si Priami celsam nostris euerimus urbem
 Consilij. — &
 Urbs Priami decimo cecidit cum funditus anno.
 Ad hæc alijs etiam argumentis. quale est, quod Mineruæ simulacrum stans hodie con-
 spicitur, quod Homerus sedere indicat. iubet enim ille peplum
 Palladis in genibus poni. — ut aliàs
 Ne quondam in genibus proles sibi nostra sederet.
 sic enim meliùs habet, quàm ut nonnulli exponunt, adducentes:
 Inq; foco sedet illa ad flammæ protinus ignis.

R 4 pro,

pro, iuxta focum. quī enim intelligatur peplum iuxta genua deponi? Qui uerō accen-
 sū traiecit *ῥωμωδωρ* legunt, ut *ἡδωρ*; utro ἢ modo accipiant, exitum nō inueniunt: siue
 supplicationem * Antiquorum Mineruæ simulacrorum multa sedentia uidentur:
 ut Phocææ, Mafsiliæ, Romæ, in Chio, alijsq; locis pluribus. Recentiores etiam testantur
 Ilium deletum fuisse. ē quibus Lycurgus orator mentione eius urbis illata: Quis, inquit,
 non auditu percepit, eam postquam semel à Græcis euerfa fuit, habitationibus carere?
 Conijciunt porro, eos qui postmodò instaurare Ilium intenderunt, locum antiqui Ilij
 abominatos fuisse, siue ob calamitates, siue quòd Agamemno in reparatorem pristini I-
 lij exsecratus fuisset ueteri quadam consuetudine. (quo modo etiam Croesus Sidena di-
 ruta, in quam tyrannus Glaucias confugerat, diris eos deuouit, qui muris rursus lo-
 cum cingeret.) itaq; isto loco omisso, urbem alio posuisse. Primi adco Astypalæenses qui
 Rhœteum occupauerunt, oppidulum ad Simoentem condidere, quod nunc Polisma di-
 citur: loco non satis firmo, unde & mox dirutum est. Sub Lydis ea quæ hodie exstat do-
 morum exstructio facta est, & templum. neque tum urbs fuit, sed multo post tempore,
 cum, ut diximus, paulatim creuisset. Hellanicus Iliensium gratiam captans more suo,
 affirmat recentem cum antiqua urbem eandem esse. Agrum uerò Iliensium, urbe sub-
 uersa, Sigesi & Rhœtei incolæ, alijsq; diuiserunt inter se: ut & instaurata urbe reddide-
 runt. Fontesam præterea Idam propriè dictam existimant, ob multitudinem ex ea de-
 labentium amnium: maximè ubi Dardania ei subiaceret, usque ad Scepsin & Ilio uicina lo-
 ca. Demetrius homo locorū peritus, (quippe ibi natus.) sic describit. Collis quidam Idæ
 est, nomine Cotylus, supra Scepsin stadia circiter cxx situs. ex eo manant Scamander,
 Granicus, & Aesepus. hi quidem uersus septentrionem & Propontidem ē pluribus fon-
 tibus confluentes: Scamander ex unico, uersus occasum. omnes hi fontes inter se uicini,
 ambitu xx stadiorum continentur. Plurimum ab initio suo abest exitus Aesepi, ferè ad 15
 stadia. Cæterum ista Homeri uerba disquirendi præbent materiam:

Iliad. f. 307.

*Idæ fluminum
descriptio.*

Iliad. x. 147.

Sunt gemini fontes, laticum qui diuite fluxu
 Labentem efficiunt per Troica culta Scamandrum.
 Horum alter calidos fumi cum uortice nigri
 Emitterit latices, alter, certare sub ipsam
 Aestatem qui cum glacie, aut cum grandine possint,
 Aut niue, nec gelido superetur frigore, promit.

Nam neque calidæ aquæ ibi nunc locorum inueniuntur: & Scamandri fons non
 isthic, sed in monte est: atq; unus is, non duo. Sanè probabile est calidas aquas defecisse. fri-
 gidæ autem quia ē Scamandro per alueum subterraneum effluentes, illic emergant, aut
 etiam quia uicinæ sint Scamandro, eius fontes dici potuerunt. In Scamandrum Andri-
 us influit ē Carefena. est hæc montana regio multis pagis habitata, & probè culta, Darda-
 niæ adiacens usque ad loca Zelæ & Pityæ uicina. nomē habere à Carefo flumine aiūt,
 quem Homerus nominat:

Iliad. u. 20.

Refususq; Heptaporusq; Carefusq; Rodiusq;

urbem fluuiio cognominem esse euerfam. Porro Demetrius ita perhibet. Refus amnis
 nunc Roſtes dicitur: nisi is fortè Refus est, qui in Granicum exit. Heptaporus, quem &
 Polyporus dicunt, septies transitur, uia quæ à pulcra picea ad pagum Celænas ducit, &
 Aesculapij templum à Lysimacho dedicatum. De pulcra ista picea, Attalus qui pri-
 mus regnauit, sic scribit. ambitum eius esse pedum xxiv: altitudinem à radice ad lxvii.
 deinde scindī in tres truncos æqualiter à se inuicem distantes, qui rursus in unum coe-
 unt cacumen: ut tota eius altitudo sit iugerum duorum, cubitorumq; xv. abesse ab A-
 dramyttio uersus septentrionē stadia cxxc. Carefus à Malunte fluit, loco quodam sito
 inter Palæscepsium & Achæium in continente Tenedo opposita. in Aesepū autem exit.
 Rodius à Cleandria & Gorda labitur, quæ à pulcra picea absunt lx stadia: influit in Ae-
 nium. In conualle circa Aesepum, ad læuam fluminis partem initio est Polichna, muris a-
 ptum oppidulum. deinde Palæscepsis, & Allazonium, conuictum iam gratia argumen-
 ti de Allazonibus: de quibus suprā diximus. tum Carefus deserta, & Carefena, ac fluui-
 us Carefus, ipse etiam conuallem faciens memorabilem, sed Aesepo minorem. sequun-
 tur iam

*Troadem reli-
quam describit.*

sunt iam Zelæ campi, & plani colles pulchrè culti. Ad dextram Aesepi inter Polichnam & Palaſcepsin Novus est pagus, & fodinæ argenti. hæ quoque confictæ eiusdem argumenti causa, ut servari possit illud

—argenti quâ urena secatur.

Iliad β. 897.

Vbi ergo est Alyba illa, aut Alope, uel quocunque tandē modo placet nominare? nam & hanc oportuit eos, semel iacta iam alea, perfricta fronte comminisci, neq; mancum relinquere ac repræhensionī obnoxium qd finxerant. Hæc ergo sic contradicuntur. Cætera autem probamus, & censemusq; in plerisque Demetrio animum esse advertendum, hominī perito, & ijs in locis nato, ac cui res ea tantæ fuerit cure, ut interpretandis LX paulo amplius Homeri uersibus de Troum recensione, xxx libros conscripserit. Palaſcepsin is ab Aeneadistare ait L stadia, ab Aesepo flumine xxx, atque huius Palaſcepsis nominis ambiguitatem etiam ad alia plura loca extendi. Sed nos ad oram reuertamur maritimā, unde sumus digressi. Post Sigeum promontorium & Achillis monumentum continēs est Tenedo opposita, & Achaïum tum ipsa Tenedus, non amplius XI stadijs à continente dissita: ambitu est ad xxx stadiorum: urbem habet Aeolicam, & portus duos, templumq; Apollinis Sminthei, quod & Homerus testatur:

Tenedus

Sminthei, qui Tenedum regis. —

Iliad α. 38.

Circa hanc minutæ insulæ multæ iacent, de quibus duæ sunt quas Calydnas dicunt, sitas quâ ad Lectum à Tenedo nauigat. sunt qui ipsam Tenedon Calydnam nominant: alij eam Leucophryn uocant. sunt & aliæ circa eam eriguae insulæ. Ibi fabulantur res Tennes gestas, & Cygni Thracis, patris (ut quidam uolunt.) Tennes, regis Colonarum. Achæo contigua fuit Larissa, & Colone quæ antè ad Diam pertinuerunt, & quæ nunc est Chrysa, posita in saxosa quadam summitate supra mare. & Hamaxitus continenter Lecto subiecta. Alexandria nunc Achæum attingit: oppidula autem quæ circum erant, aliæque plura castella, eorum ciues Alexandream translati sunt: de quibus Cebrena fuit & Neandria. agrum ipsi habent. Locus, in quo nunc Alexandria sita est, Sigia uocabatur. In Chrysa autem ista templum est Apollinis Sminthei. ac signum nominis ueritatem rationemque conseruans, mus sub pede est simulacri. opus est Scopæ Paris: & fabulæ historiam de muribus accommodant hoc modo. Teucris, quos primus Callinus elegiarum conditor multos è Creta adduxerat eò, fuisse oraculo præceptum, ut sedes ibi ponerent, ubi ipsos terrigenæ essent adorti. id eis apud Hamaxitum euenisse. nam noctu magnam terrestrium murium multitudinem erupisse, quæ quidquid armorum aut utensilium è corio factum aderat corroserit. Ita eos ibi mansisse. Eosdem Idam quoque à Cretensi denominasse. Heraclides Ponticus ait mures, cum circatemplum abundarent, sacros esse habitos, atque ita simulacrum factum quod muri insisteret. Alij uenisse ex Attica quendam Teucrum narrant, è pago Troum siue curia, cui nunc Xypeteon dicitur. multos è Creta uenisse Teucros. & Troianorum cum Cretensibus cōiunctionis eoutuntur indicio, quod apud utrosque Erichthonius fuerit gentis princeps. Sic ergo recentiores dicunt. Homeri uersibus magis consentiunt uestigia quæ in Thebes campo, & ibi posita Chrysa ostenduntur: de quibus mox dicemus. Nomen Sminthei multis in locis exstat. Nam & apud ipsam Hamaxitum extra templum Sminthium, duo alia loca Sminthia usurpantur, & alia in Larissæo agro. sed & in Parisano locus est quæ Sminthia dicuntur, itemq; in Rhodo & Lindo, ac alibi multa. Nunc templum appellant Sminthium. seorsim est campus Haleſius non magnus, circa Lectum, & salinæ Tragesææ apud Hamaxitum, ubi sal sponte sua cogitur spirantibus Etesijs. Apud Lectum ara est XII deorum, quam Agamemno dicit posuisse. Hæc omnia sunt in conspectu illi, intra co aut paulo plura stadia. itemque ab altera parte quæ circa Abydum. tamen paulo propinquior est Abydus. Vbi Lectum circum flexeris, urbes Aeolensium nobilissimas uidebis, excipietque sinus te Adramyttenus: ad quem Homerus maiorem Lelegum partem collocat, & Cilices: qui quidem sunt gemini. Ibi etiam Mitylenæorum est litus, Mitylenæorum quosdam pagos habens in continente positos. Eundem sinum etiam Adramyttenum appellant. Nam dorsum quod à Lecto ad Idam porrigitur, supra primas situm est sinus partes: in quibus primū positos Lelegas poëta facit. De his quanquam dictum

Sminthei

Aeolis desertio.

ctum est supra: nunc tamen addamus, Pedasum urbem ab Homero quandam nominari, quæ Alta paruerit.

Iliad. p. 87.

Alta, qui Lelegum rex est in bella ferocum,
Pedason excelsam prope Satmoënte gubernans.

Et hodieque ostenditur locus, urbe uacuis. Quidam non rectè scribunt, sub Satmoënte: quasi urbs sub monte Satmoënte sita esset. neque enim ullus ibi mons eo nomine existat: sed fluuius, ad quem urbs fuit condita, quæ nunc est deserta. Fluuium poëta nominat.

Iliad. f. 443.

Satnion insiliens rigida tum perculit hasta
Enopidem: Nais peperit quæ candida quondam
Enope nympa grauis: cum buccera pasceret ille
Armenta ad ripas undosi Satnioëntis.

& rursum.

Iliad. f. 34.

Ad ripas habitabat aquosi Satnioëntis,
Pedason excelsam. —

Satnioëntem qui posterius illa loca incoluerunt, Saphnioëntem appellauerunt. magnus est torrens: memorabilem fecit Homerus, dum nominauit. Hæc loca contermina sunt agro Dardanio & Scepsio: tanquam alia quædam Dardania. inferiora autem Assijs nunc sunt & Gargarijs, usque ad mare, quod Lesbum alluit. continenturque Antandrio, Cebrenio, & Hamaxiteo limitibus. Supra Hamaxitum quidem Neandria sita est: cuius incolæ ipsi quoque intra Lectum sunt, magis in mediterranea, & uersus Ilium uergentes. distant enim cxxx stadijs. Supra hos Cebrenij sunt. inde Dardanij usque ad Palæscepsin & ipsam Scepsin. Antandrum certè Alcaus Lelegum urbem uocat

Principiò Antandrus Lelegum urbs est.

Scepsius eam in circumiacentibus numerat: ita ut in Cilicum regionem excidere uideatur. hi enim contigui sunt Lelegibus, austrinum maximè litus definiens. Humiles tamen sunt & hi, & qui ad oram maris Adramyttio uicinam propius accedunt. Nam post Lecton est Polymedium uicus, intra xl stadium. post alia xxc, lucus supra mare paruis. deinde intra cxl, Gargara. Sita sunt Gargara in promontorio, quod sinum efficit, qui proprie Adramyttenum dicitur. Etenim hoc nomine dicitur etiam tota maris ora quæ à Lecto est usque Canas, etiam Elaiticus complectens sinum. peculiariter autem Adramyttenum sinum nuncupant, qui promontorio cui insita sunt Gargara, & alio Pyrrha includitur, cui Pyrrhæ impositum est Veneris templum. Latitudo oris à promontorio ad promontorium est traiectus cxx stadiorum. Intus est Antandrus cum monte superne imminente, cui Alexandrea nomen: ubi controuersiam dearum à Paride aiunt esse disceptatam. Tum Aspaneus, cædua syluæ Idææ pars. materiam enim eò deuehentes, requiruntibus diuendunt. sequitur Astrya pagus, & lucus Astryenæ Dianæ sacer. Hinc est Adramyttium, Atheniensium colonia, portum habens & nauium stationem. Extra sinum & Pyrrham promontorium Cisthena est oppidum desertum, portum habens. Suprà in mediterraneis aris fodina est, & Perperena, Trarium, alijsque id genus pagi. Deinceps in litore sunt Mitylenæorum pagi Coryphantis, Heraclea. post Attea. inde Atarneus, Pitana, & Caici ostia: quæ iam ad Elaiticum sinum pertinent loca: & in opposita continente est Malea, sinusque usque ad Canas reliquas. Sed nos de singulis rursum differamus quæ memoratu digna præteriuimus. ac primùm de Scepsi. Antiqua Scepsis, id est, enim Palæscepsis supra Cebrenem sita fuit iuxta excelsissimam Idææ partem ad Polichnam. nomen hoc habuit siue aliàs, siue quod è loco illo longissimè posset circumspici: si quidam barbarica eius ætatis nomina sunt ad Græci sermonis exigenda rationem. Deinde urbs lx stadia deorsum translata est in eam quæ nunc est Scepsis, à Scamandrio Hectoris, & Ascanio Aenææ F. ac duæ hæc familiæ diu Scepsi regnasse traduntur. uenit postea urbs in paucorum potestatem. secundum hæc Milesij se Scepsijs adiunxerunt in ciuitatem, & popularis reip. administratio est instituta. nihilominus tamen qui ex istis erant familijs, reges sunt appellati, ac suos peculiare habuerunt honores. Postmodo Antigonus Scepsios Alexandream traduxit. dimisit deinde in suâ eos rursum patriam Lyfimachus. Arbitratur Demetrius Scepsius patriam suam fuisse Aenææ regiam, medio

*Mysia repetitio.
Scepsis.*

sitam

litam loco inter Aeneae ditionem & Lyrnessum. in quam dicatur fugisse Achille persequente. sic enim loquitur Achilles.

Non uenit in mentem tibi, quo te tempore solum
Idæis instans de montibus exagitârîm,
Veloci te calce premens. —

Hinc te Lyrnessum fuga pertulit. hanc ego cepi.

Cæterum huic de Scepsis autoribus ac principibus sermoni non consonant ea, quæ de Aenea uulgo memorantur. Hunc quidem bello superstitem fuisse perhibent, propter inimicitias quæ ei cum Priamo erant.

(Nam Priamo grauiter semper succensuit iste,
Quod sibi præclaro nullum deferret honorem
Eximium. —)

etiam collegas eius Antenoridas, & ipsum Antenorem, propterea quod Menelaum hospitio is excepisset. Sophocles quidem in exscidio Ilij ait pardi pellem fuisse foribus Antenoridis appositam, qua tessera domum eius imminem à direptione esse significaretur. Proinde Antenorem cum filiis & Henetis sibi adiunctis in Thraciam euasisse: indeq; in Venetiam, quæ nunc dicitur, apud Adriam peruenisse. Aeneam cum Anchisa patre & Ascanio filio hominum collecta multitudine abnauigasse. Alij eum sedes posuisse aiunt apud Olympum Macedoniæ. alij apud Mantineam Arcadiæ Capuas condidisse, nomine oppido à Capy facto. alij ad Aegestam Sicilia cum Elymno Troë traiecisse, & occupasse Erycem ac Lilybæum: fluuiosq; circa Aegestam denominasse Scamandrum & Simoentem. Venisse inde in Latium, monituque oraculi ibi consedisse, quod manere ibi iubebat, ubi mensam comedisset. id ei in Latio apud Lauinium usu uenisse: cum 10 ob 10 inopiam magnus panis loco mensæ positus, unâ cum iniectis ei carnibus esset deuoratus. Homerus neque his ad stipulari uidetur, neque ijs quæ de Scepsis autoribus dicta sunt. Innuit enim Aeneam mäsisse in Troia, inque regnum successisse, & id per successionem ad filiorum filios propagasse: cum stirps Priami esset abolita.

Nunc etenim Priami stirpem Saturnius odit.

Fortis at Aeneas in Troës scepra tenebit,

Et nati natorum, qui nascentur ab illis.

Hoc pacto ne Scamandrii quidem successio seruabitur. Multo magis hæc discrepant ab ijs, qui usque in Italiam uagatum eum dicunt, & ibi uitam cum morte commutasse. Quidam scribunt:

At genus Aeneæ cunctis dominabitur oris,

Et nati natorum —.

ad Romanos id referentes. Protulit Scepsis Socraticos Eraclum & Coriscum, & Neleum Corischi F., qui auditor fuit Aristotelis & Theophrasti: & huius etiam bibliothecam successionem nactus est, in qua Aristotelis etiam fuit bibliotheca. nam Aristoteles suam Theophrasto tradidit, cui & scholam reliquit. Primus omnium, qui nobis sunt noti, Aristoteles bibliothecam cōductis libris composuit, idque Aegypti reges facere docuit. Theophrastus bibliothecam Neleo tradidit. His libros Scepsin translatis posteris suis reliquit, ineruditis hominibus: qui incuriæ positos sub clauibus retinuerunt. cumque Attallicorum regum studium intellexissent, quibus Scepsis parebat, conquirentium libros ad instruendam Pergamibibliothecam: sub terra suos in fossa quadam occultauerunt. Ibi ab humore & blattis uitiatos tandem qui ex ea erant stirpe Aristotelis Theophrastiq; libros Apelliconi Teio magna pecunia uendiderunt. Tenebatur is Apellico librorum amore, quam philosophiæ studio maiore. itaque erosarum particularum querens instauracionem, in noua libros transtulit exempla, lacunas non rectè implens: ediditque libros mendorum plenos. Vsu uenit peripateticis antiquis, qui post Theophrastum uixerunt, cum omnino libris carerent, paucosq; duntaxat, præcipue exotericos haberent: ut nulla de exquisitè pertractando eam philosophari possent, sed tantum de propositis disputarent. Posterioribus ab eo tempore quo libri isti sunt editi, facilius fuit philosophari & Aristotelem imitari: quanquam ob mēdorum multitudinem cogarentur multa probabili-

ter mo-

Iliad. v. 138.

Iliad. v. 480.

Aeneas historia.

Iliad. v. 306.

Aristotelis libri.

ter modò dicere. Multum huc etiã Roma contulit. (. Statim enim à morte Apellicon-
tis Sylla cùm Athenas cepissent bibliothecam illius recepit. quæ cum huc esset allata,
Tyrannio à bibliothecæ præfecto obtinuit, ut sibi eorum usus permitteretur, homo A-
ristotelis studiosus.) & librorum uenditores nonnulli ineptis usi librarijs, neque cum ex-
emplari descripta comparantes. quod & alijs accidit libris qui exscribuntur uendendi
causa & Romæ, & Alexandræ. De his quidem satis. Scepſi natus est & Demetrius
grammaticus, cuius sæpe mentionem fecimus, qui Catalogum Homeri enarravit, æ-
qualis Cratetis & Aristarchi. Et post hunc Metrodorus, qui è philosopho in ciuilem mu-
tatus hominem, in suis scriptis plerumq; rhetorum more differit: noua utens quadam di-
cendi forma, quæ ei apud multos admirationem peperit. id quæ sua fama consecutus est,
ut opulentam uxorem Carthagine pauper duceret, ac Carthaginensis appellaretur. Mi-
thridatem autem colens Eupatorem, eum cum uxore in Pontum est comitatus, & ad
summum ab eo honorem euectus. nam iudicis ei officium hic demandauit, à cuius sen-
tentia non liceret ad regem prouocare. Non tamen ad finem uitæ fortuna permansit se-
cunda. sed iniquorum hominum inimicijs intricatus, defecit à rege cùm ab eo legatus
ad Tigranem missus esset Armenium. qui eum inuitum Eupatori remisit, iam ex auito
fugienti regno. in itinere autem mortuus est Metrodorus, siue regis opera, siue è morbo:
utrumque enim fertur. Hæc quidem hæcenus de Scepſijs. Post Scepſin Andra sunt,
& Pionia, & Gargaris. Lapis est apud Andra, qui uſtus in ferrum transit. deinde cū qua-
dam terra in camino excoctus, pseudargyrum seu falsum argentum stillat: cui ubi est
æs additum, temperamentum fit quod uocant, & nonnulli orichalcum dicunt. nasci-
tur pseudargyrus etiã apud Tmolium. Hæc sunt loca, quæ Leleges tenuerunt: ut & quæ
circa Assum. Natura & arte munita est Ascus, à mari & portu rectam & longam ha-
bens adſensionem. ut conuenire ei uideatur Stratonici citharædi:

*Iliad. s. 143. 30-
308 alijs propi-
us significat.*

Asson eas, properè exitium situ tibi quæris.

Portus magno aggere constructus est. Hinc natus fuit Cleanthes stoicus philoso-
phus, qui Zenoni Citienſi in schola successit, & eam Chrysippo Solenſi reliquit. Ibi-
dem etiã Aristoteles commoratus est ob adſinitatem cum Hermæ tyranno. Fuit is
Hermeas Eunuchus, cuiusdam mensarij famulus: cumq; uenisset Athenas, Platonem
audiuit & Aristotelem. Reuerſus inde, tyrannidem in Atarnenses & Aſſios machinanti
domino socium se præbuit. post ei successit, acciuitq; Aristotelem & Xenocratem, eo-
rumq; curam habuit: Aristoteli etiã filiam sobriini nuptum dedit. At Memnon Rho-
dius, Persarum eo tempore adminiſter atq; dux, simulata amicicia Hermeam ad se uoca-
uit, sub nomine hospitij & simulatorum negociorum: compræhensumq; ad regem mi-
ſit. ibi Hermeas ſuſpendio adfectus periit. philoſophi euaserunt, fugientes è locis quæ
Persæ obtinebant. Myrsilus Assum à Methymnæis conditam ait. Hellenicus Aeoli-
cam facit urbem: ut Gargara quoque & Lamponia Aeolidis fiant. nam ab Aſſijs condita
sunt Gargara, non satis bene habitatoribus instructa. nam è Mileto colonos eò miſerunt
reges, eam euacuantes. itaque Demetrius Scepſius ait eos de Aeolensibus semibarba-
ros factos. Homeri ætate omnia ista Lelegum fuerunt: quos Cares nonnulli appellant.

Leleges.

Cares. Homerus distinxit.

Iliad. n. 429.

Ad mare sunt Cares, & curuo Pæones arcu,

Et Leleges, & Caucones. —

Diuerſi ergo à Caribus Leleges, habitabant inter Aenæ ditjonem & Cilices poëte:
ab Achille autem euastati, in Cariam transiuerunt, & occupauerunt quæ circa Halicar-
naſſum sunt loca. Vrbs, qua exceſſerunt, non exſtat. In mediterraneis autem Halicarnasſi
Pedasa urbs fuit ab ipsis nominata, & nunc regio pedasalis dicitur. Octo urbes aiunt in ea
Lelegibus frequentatas ciuib: cùm olim illi multitudine hominum florerent: ita ut e-
tiã Cariæ partem tenerent, quæ Myndum usque & Bargylios porrigitur: bonam etiã
Piſidiae partem occuparent. Poſtea cum Caribus in bellum proſecti, diuiſi sunt per to-
tam Græciam, & gens ipsa deleta est. de octo autem urbibus ſex Manſolus in unam Hali-
carnasſum conduxit, ut Calliſthenes refert: Synagela & Myndum integras reliquit. Pe-
dasensibus his ſcribit Herodotus, & eorum uicinis ſi quid aduerſi impenderet, Mineræ
antiſti

lib. 1.

antistitam apud eos barbam edidisse: idque ter accidisse. Etiamnum in ditione Stratonicensium est Pedasus oppidulum. in tota autem Caria & Mileri ostenduntur Lelegum sepulcra, castella, pagorumque uestigia. Proximum post Lelegas litus Cilices Homericus *Cilices*, tenebant: quod nunc habent Adramytteni, Atarnitæ, Pitanaei, usque ad Caici ostia. Diuisi fuerunt Cilices in duas, ut dixi, prouincias: quarum una Eetioni, altera Mynetipareret. Eetionis urbem Thebam Homerus appellat.

Nos Theben, sacram urbem uenimus Eetionis.

Iliad. x. 366.

Huic etiam Chrysam adscribit, templum Sminthei Apollinis, siquidem Thebæ capta fuit Chrysaïs. addit enim:

Atque è direpta prædam asportauimus omnem.

Inter se rectè quam diuisere Pelasgi,

Atridæ eximium dantes Chryseida munus.

Urbem autem Mynetis Lynessus nominat: siquidem Achilles Mynetem & Epistrophum Achilles interfecit

Lynessus euastans, & claræ mœnia Thebes.

Iliad. 8. 691.

itaque cum dicit Briseis. — neque meplorare sinebas,

Cum meus à forti est occisus Achille maritus,

Iliad. 7. 295.

Atque euastata urbs clari miseranda Mynetis:

non intelligi debet Thebe, quæ Eetionis fuit: sed Lynessus. ambæ autem fuerunt in campo qui deinde Thebes dictus fuit campus. de quo ob eius præstantiam certamina fuerunt Lydis & Mysis antè, postea Græcis, qui eo è Lesbo & Aeolide migrauerunt. Nunc Adramytteni maiorem partem obtinent. ibi enim Theba est, & Lynessus munitum natura castellum. ambæ sunt desertæ. distant ab Adramyttio hæc LX, illa XXC stadiis, in diuersam partem. In Adramyttena est & Chrysa & Cilla, nunc Thebæ uicina. Locus est Cilla in quo Apollinis Cillei est fanum, ac præterfluit ex Ida delapsus Cilleus fluius. sunt hæc iuxta Antandriam. Sed & in Lesbo Cilleum ab hac Cilla nomen habet. Est & Cillæum mons in Gargarum & Antandrum Daës Colonensis ait, Cillei Apollinis templum primum Colonis fuisse posita è Græcia aduectis Aeolensibus. Chrysa quoque Cilleum Apollinem dedicatum fuisse ferunt: idè ne sit cum Smintheo, aut alius ab eo, incertum. Chrysa oppidulum fuit ad mare situm, portum habens. ibi erat Sminthei delubrum Apollinis, & Chryseis. paulo supra iacet Thebe. Locus nunc planè desertus est: fanum Cilicum translatum in eam quæ nunc est Chrysam ad Hamaxitum: cum Cilicum alij in Pamphylia emigrassent, alij Hamaxitum. Qui imperitiores sunt priscarum historiarum, hæc fuisse Chrysam & Chryseidem putant, Homerumque eius loci facere mentionem. At qui hæc nullus est portus. Homerus autem dicit.

Illi intra portum cum peruenere profundum.

Iliad. x. 432.

Neque templum hæc ad mare est: poëta autem ad mare ponit

Pontiuaga egreditur Chryseis pulcra carina.

ibid. 439.

Quam tunc Dulichius perduxit Vlisses ad aram,

Inque manus caro patri dedit. —

Neque propè Thebam. at Homericam propè fuit. nam inde abductam ait Chryseidem. Sed neque Cilla in Alexandrino agro ulla ostenditur, neque Cillæi templum Apollinis. at poëta coniunxit:

Qui Chrysam, Cillamque tenes. —

ibid. 37.

at in Thebes campo propinqua uisitur. Et nauigatio à Cilicia Chrysa ad Naustathmō, LX ferè est stadiorum, unius adeò: quantam uidetur Vlisses confecisse. Nam nauem egressu, statim sacrificium deo præbet: deinde uespera occupante, ibi pernoctat: manè auehitur. Ab Hamaxito autem uix tertium eius interualli est: itaque sic licuisset Vlissi sacris operato eadem die ad naustathmum redire. Est etiam tumulus magnus ponè fanum Cilleum Apollinis, monumentum Cilli cuiusdam: quem ferunt Pelopis fuisse auri-gam, ac principem in ea duxisse loca. à quo fortasse Ciliciæ nomen est. ⁱⁱ aut uicissim * ⁱⁱ Enimuerò quæ de Teucris & muribus traduntur (unde Smintheo nomen sit: quando Sminthij sunt mures.) huc sunt transferenda. Excusant autem hanc à muribus denomi- ^{Ridiculorum co} nationem ^{gnominū ratio.}

nationem talibus quibusdā exemplis. Nam Oetai Herculem à locustis, quas Parnopes Græci, Kornopes ipsi nominant, Cornopionem appellatum uenerantur, quod à locustis ipsos liberauerit. Ipoctonum Herculem Erythræi ad Meliunta accolentes colunt, quia ipse (uermes sunt à quib. uites corroduunt) exciderit: nam apud solos Erythræos ea uisum pestis non nascitur. Rhodij in sua regione Erythrij Apollinis templum habent, ab * rubigine frugum auersa sic dictum, quæ ipsis erythiba, alias erysibe dicitur. Ab Aeolensibus qui in Asia sunt, Mistis Pornopion dicitur, cum Bæoti sic appellent Pornopas: & sacrificatur Pornopioni Apollini. Mysia ergo est circa Adramyttium. Ea urbs aliquando sub Lydis fuit: & nunc portæ Lydiæ uisuntur Adramyttij: quod Lydi urbem eam condiderint. Mysiæ autem propinquum pagum, olim oppidum fuit, in cuius luco templum Astryenæ Dianæ est, cui Antandrij religiose præsent, quibus id est uicinius. distat ab antiqua Chrysa stadia xx: cuius & ipsius in luco templum. Ibidem est & Achillis ual-
liad x. 479. lum. Inde ad quinquagesimum stadiū Thebe est, deserta. quam Homerus sub Placo sitam ait syluosa. At neque Placos aut Plax (tabulam aut ei similem planiciem interpretare.) ulla ibi est, neque sylua supernè imminet loco, quanquam sit ad Idam. Ab Astryis Thebe abest stadia ad lxx, ab Anderis ad lx. Hæc autem omnia sunt nomina locorum desertorum, aut male habitatorum, aut fluminum torrentium * celebrata tamen sunt ob antiquas historias. Urbes sunt memorabiles Assus & Adramyttium. Bello Mithridatico male acceptum fuit Adramyttiū. Nam prætor Diodorus in gratiam regis senatum occidit, cum quidem se Academicum philosophum, & causidicum, & rhetorem proficeretur interim. & quidem in Pontum etiam cum rege abiit, eo autem defecto, pœnas ille dedit maleficio affectis. nam cum multa simul ei crimina intentarentur, turpiter seipsum inedia confecit, nō ferens dedecus tantum: idq; in nostra patria. Orator insignis Adramyttenus exstitit Xenocles, Asiaticæ de forma orationis, ea qua ullus alius uehementia, isq; pro Asia ad senatum orauit, quo tempore ea Mithridatis partibus fauere insimulata fuit. Apud Astryra lacus est nomine Sapra, qui erumpit in litus mare, asperis saxis in dorsi speciem porrectis asperum. Sub Anderis delubrum est Matris deorum Anderenæ sacrum, & antrum cuniculi in morem sub terra, usque ad Palæam pertinens. Palæa uicinus quidā est, ab Anderis cxxx stadijs dissitus. eum subterraneum specum demonstrauit torrens, cum incidisset in os eius, & postridie iuxta Andera à pastore quodam reperi-
¹² tus esset, forte fortuna ad sacrificium eunte. Atarneus regia fuit ¹² Hetmæ tyranni. Se-
Pitane. quitur Pitane urbs Aeolica, duos habens portus, & fluuius Euenus eam præterfluens: è quo per aqua ductus Adramytteni aquam sibi comparant. Pitane patria fuit Arcefilai academici patria, qui cum Zenone unā Citieo audiuit Polemonem. Vocatur etiam apud Pitanen quidam in mari locus Atarneus, infra urbem ad eum quæ uocatur insula sese exferens. Aiunt apud Pitanam lateres coctos in aqua non subsidere. quod & in quadam parua Etrusci maris insula euenit. leuior enim est terra quàm aqua cui inicitur: id-
* eoq; ea innatat. Posidonius in Hispania se uidisse affirmat è quadam terra argillacea, qua argentea detergent uasa, lateres concretos & aquæ innatantes. Post Pitanam Caicus stadijs xxx in Elaiticum sinum se effundit. Trans Caicum xii à flumine stadijs Elæa est urbs Aeolica, eademq; pergamenorum nauale, cxx stadijs distans à Pergamo. Hinc intra centum stadium Cana est, promontorium Lecto oppositum, Adramyttenumque conficiens sinum, cuius pars est Elaiticus. Canæ autem, oppidulum est Locrensiū è Cyno profectorum eò, iuxta extremas Lesbi uersus meridem partes, situm in regione Canæa. ea regio usque ad Aginufas pertinet, usque imminens promontorium, quod Aega nonnulli appellant, quali capram. est autem Aegân pronuntiandum, ut archân & actân. sic enim totus mons appellatur, quem nunc Canen & Canas appellant. Circa eum montem in orbem, uersus meridiem & occasum solis mare est: uersus orientem Caici campestria subiacent: uersus septentrionem Elaitis regio. Ipse mons pro se satis est contractus: mare autem Aegæum eò inclinatur: unde & nomen ei. postea ipsum promontorium Aega appellatum: ut Sapphō. ac deinde Canen & Canas. Inter Elæam ac Pitanen, Atarneumq; & Pergamum, intra Caicum Teuthrania est, distans ab unaqua-
que dictarum stadia amplius lxx. Historiæ ferunt Teuthrantem Cilicum fuisse & My-
torum

forum regem. Euripidem autorem habeo, Augem cum filio Telepho in cistam inclusos, inq̃ mare deiectos fuisse ab Alea patre Auges, cum is uiciatam ab Hercule filiam depræhendisset, sed prouidentia Mineruæ factum, ut cista mari transmissa in ostium Cai- ci exciperet. corporibus exemptis Teuthrantem in uxorem accepisse Augem, & Tele- phum pro filio adoptauisse. Hæc quidem fabula est: & alio aliquo fortuito casu factum oportuit, ut filia Arcadis à Myforum rege uxor duceretur, mulierisque eius filius in re- gnum patri adoptanti succederet. Id quidem creditum est, Teuthrantem & Telephum regnasse ea in regione, quæ circa Teuthraniam est & Caicum. Homerus hoc modo me- minit eius historię.

Qualis, Telephidem telo cum strauit acuto
Heroem Eurypylum: sociorum maxima cuius
Turba unà periit, muliebria dona secuti
Ceteij. —

Necy. 518.

quibus quidem uerbis ænigma potius nobis proponit, quàm ut disertè aliquid expo- nat. Nam neque constat quos Ceteios intelligere debeamus: neque quid sibi uelint mu- liebria illa dona. Grammatici etiam, dum fabellas adducunt: non tam soluunt quæstio- nes, quàm rationes comminiscendo indulgent. Istis ergo missis, loquamur de magis perspicuis. Circa loca uicina Caico apparet fuisse regnum Eurypyli. ut fortasse aliqua etiam Cilicum pars ei paruerit. itq̃ non in duas, sed in tres fuerint diuisi præfecturas. Huic rationi id fauet, quod in Elaitide torrens pœne amnem æquans monstratur: nomine Ce- tium. is in alium haud dissimilem, hic rursus in alium talem illabitur. deniq̃ Caicum au- gent suo influxu. Caicus non ex Ida fluit: quod Bacchylidi uisum. neq̃ ut Euripides dicit Marfyam nobiles

Caicus.

1) Habitare Celanas extrema Idæ sub loca.

procul enim ab Ida absunt Celeng, procul etiam Caii fontes: quæ in campo quidem ostenduntur Temnus mons est, qui & hunc, & qui Asiæ dicitur campum definit, supra

13

Temnos.


Thebæ campum in mediterraneis situm. E' Temno fluit amnis Mysius, in Caicum in- fra eius illabens fontes. Hinc quidam putat dictū Aeschilo, in primordioprologi Myr- midonum suæ:

Iò Caice, Iò fluente Mysia.

Prope fontes Caii est pagus Gergetha, in quem Attalus Gergethios è Troade tra- duxit, oppido eorum sublato. E regione li- toris à Lecto ad Canas, insula Lesbos por- rigitur, plurimo digna sermone. circumia- cent ibidem etiam minutæ insulæ, aliæ ex- terius, aliæ intra Lesbum & continentem si- tæ. de quibus tempus iam est dicendi, cum Aeolica sint hæc omnia: & Lesbos quodam modo mater sit Aeolicarum urbium. inde autē ordiemur, unde & ipsum litus descri- bere cepimus. Quà à Lecto Assum nauiga- tur, Lesbia terra incipit à Sigrío eius uersus septentrionem promontorio. Atque ibi est Methymna Lesbiorum urbs, LX stadiis à Li- tore quod est inter Polymediū & Assum. Cum autem ambitus totius insulæ imple- at stadia CIO C: singula sic habent. A' Me- thymna ad Maleam maximè austrinum in- sulæ promontorium, 14 (.si ad dextram ha- beas insulam.) iuxta quod maximè Canæ

Lesbi insulæ des-
criptio.

S 2 oppo-



opponuntur & respondent insulae, stadia sunt CCCXL. Hinc ad Sigrium CCLX, quae est insulae longitudo. hinc ad Methymnaem, CCX. Mitylenae inter Methymnam & Maliam sita est, urbium maxima. abest à Malia LXX stadiis, à Canis CXX, totidemque ab Arginufis. Arginusae tres sunt insulae non magnae, continenti appropinquantes, circum Canas sitae. Inter Mithylenam & Methymnam, iuxta pagum agri Methymnaei Aegerum, arctissima est insula, transitum habens usque ad Pyrrhaem Euripū stadiorum XX. Sita est Pyrrha in occiduo Lesbilateri, c. à Malia stadiis. Mitylena portus habet duos. quorum austrinus cōclusus est triremibus, & nauibus XC. septentrionalis magnus & profundus, aggere Septus. ante utrunque iacet exigua insula, in qua pars ciuitatis habitat. Omnibus rebus bene est apparatus Mitylenae. Viros tulit praecellosos, quondam Pittacum unum de VII sapientibus, & Alcaē poētā, eiusque fratrem Antigenidam. hunc Alcaeus scribit auxilio in pugna Babylonis uenisse, magnumque confecisse certamen, eosque
 * ē difficultatibus liberasse, occiso uiro Macheta pugnace, ut ait, regum luctatorem relin-
 + quentem solum, & molestiam dolorum amoliturum esse. Floruit eodem tempore Sappho, femina admirabilis. nam in tali tempore quod memoratum est, nullam nouimus mulierem, quae uel aliquo modo cum ea possit comparari, poeseos causa. Multi ea tempestate tyrannidem in ea urbe tenuerunt, ob dissidia. de quibus etiam exstant Alcae carmina. E tyrannis unus fuit etiam Pittacus. quem, ut & ceteros Myrsilium, Megalagyrum, & Cleanaetidas, aliosque nonnullos insectatus est Alcaeus: ne ipse quidem purus studiis eiusmodi nouandarum rerum. Pittacus ut dominationes multorum tolleretur, omnem potestatem penes se unum positam usurpauit: re confecta, libertatem ciuibz reddidit. Multo post tempore Mitylena protulit Diophanem rhetorem: nostra aetate Potamonem, Lesboclem, Crinagoram, & historiae scriptorem Theophanem. Hic in rep. etiam uersatus est, & usus Pompeij Magni amicitia suam ob uirtutem, in omnibus praecelsis facinoribus socium se ei praebuit: ac partim Pompeij, partim sua ipsius opera patriam ornauit, seque omnium Graecorum illustrissimum praestitit. Filium reliquit M. Pompeium, quem quondam Augustus Caesar Asiae procuratorem constituit. hodie inter primos Tib. Caesaris amicos censetur. Parum abfuit quin Athenienses in immedicabilem sese coniecissent infamiam, cum decretum fecissent de trucidandis à puero usque omnibus Mitylenais. resciderunt tamen tū, unaque die ad imperatores citius posterius hoc decretū perlatum est, quam si mandatum exsequi inciperent. Pyrrha euerfa est: suburbium autem habitat, habetque portum: à quo Mitylenam transitus est stadiorum XXC. Eressus Pyrrham sequitur, in colle sita, & ad mare pertinens. inde ad Sigrium stadia LXX. Eressus fuit Theophrastus, itemque Phanias, philosophi peripatetici, auditores Aristotelis. Theophrasto antea nomen fuit Tyrtamo. sed Aristoteles hoc ei nomen fecit, simul ut prioris asperitatem fugeret, simul ut dictionis Theophrasteae praestantiam commendaret, tanquam diuinæ. omnes enim suos discipulos facundos, hunc facundissimum fecit Aristoteles. Post Sigrium urbs Antissa sequitur, portum habens. Deinde Methymna. Haec patria fuit Arionis, eius quem Herodotus delphino uectum in Tanarum euasisse fabulatur, cum à predonibus esset in mare abiectus. atque hic citharædus fuit. Terpandrum quoque eiusdem musicae artificem, Lesbium praedicant: qui primus lyram ante quatuor contentam fidibus, septem neruis instruxit. quod ē uersibus, qui in eum scripti circumferuntur, intelligi potest:

Contemto neruis quatuor nos carmine omisso:

Instructa septem fidibus tibi nobile carmen

Dicemus cithara. —

Lesbii etiam fuerunt Hellanicus historiae conditor, & Callias qui Sapphus & Alcae uersus interpretatus est. In freto quod inter Lesbum est atque Asiam, insulae paruae sunt
Hecatonnesi. ad XX: Timosthenes XL dicit. eae uno nomine Hecatonnesi uocantur, uoce ut Peloponnesus composita: abundante ex quadam consuetudine in his altero N, ut in Myonnesus etiam, & Proconnesus, Halonnesus. Sunt ergo Hecatonnesi, quasi Apollinis insulae, qui Hecatus usurpatur, & in tota ista ora colitur usque ad Tenedum, cognomento Sminthei, Cillaei, Grynei, aut aliquo alio. His uicina est etiam Pordoselena, urbem in se habens cognomi.

cognominem: atque ante urbem alia maior, cum urbe eiusdem nominis deserta, in qua templum Apollinis. Quidam nominum fœditatem fugientes, hac Poroselenam dici debere aiunt: & Aspordenum quod est apud Pergamum loco sterili & aspero, Asporenium: & fanum quod ibi est Matris deûm, Asporenæ. Quid faciemus ergo Pordali, Saperdæ, Perdicæ, & Simonidis loris pordacis, id est madidis. & in ueteri comœdia pordacum locus stagno insitus.

Abest Lesbos à Tenedo, Lemno, & Chio æquali spacio ferè 10 interiùs stadijs. Ceterum cum tanta fuerit Lelegum & Cilicum cum Troianis familiaritas: causa queritur cur non hi quoque in catalogo recenseantur. Probabile est interfectis ducibus, oppidisque euestatis, paucos quodam superstitibus Cilices sub Hectore militasse. Nam cum Eetion & filij eius dicuntur ante recensionem perijisse:

Nostrium uerò patrem uelox occidit Achilles,
Et Theben Cilicum bene cultam diruit urbem.
Et septem fratres, mea quos domus ampla tenebat,
Vna dies omnes letho dedit: impiger omnes
Vulneribus diris Pelides misit ad Orcum.

Iliad. 7. 415.

Itidem Cilices qui sub Mynete fuerant, duces urbesque amiserant:

Occiditque Myneta, & Epistrophon —
— clarique Mynetis diruit urbem.

Iliad. 8. 692.

Iliad. 7. 296.

Lelegas etiam pugnis interfuisse ostendit:

Ad mare sunt Cares, & curuo Pæones arcu,
Et Leleges, & Caucones —

item.

Iliad. 11. 428.

Satnion insiliens rigida tum perculit hasta
Enopidem: Nais peperit quem candida quondam
Enopenympha grauis, cum buccera pasceret ille
Armenta ad ripas undosi Satnioëntis.

Non enim ita omnino defecerant, ut non corpus ipsi quoque aliquod per se constituerent: cum adhuc regem haberent incolumen

Alten, qui Lelegum rex est in bella ferocum:

neque urbs planè esset euerfa

Iliad. 9. 87.

Pedafon excelsam sub Satnioënta gubernans.

In recensione autem omisit eos Homerus, non dignum satis corpus id existimans, quod in catalogo referretur. aut sub Hectoris copijs complectens, adeo ei familiares. Etenim Lycaon Hectoris frater sic dicit.

— me paruo uicturum tempore mater

84.

Laothoë peperit, senis Altx filia regis.

De his ergo hæc possunt dici probabiliter. Potest etiam, si queratur de sententia Homeri quis sit uerus limes ad quem Cilices desierint & Pelasgi, & qui inter eos sunt Cetei Eurypylo subditi. De Cilicibus quidem & Eurypyli ditione diximus quantum licuit: & quod quæ ad Caicum sunt maximè determinantur. Consentaneum autem est his continenter deinceps poni Pelasgos: cum ex Homeri dictis, tum ex reliqua historia. Homeri sunt hæc

De Pelasgis.

Hippothous gentes ducebat in arma Pelasgas,

Iliad. 6. 840.

Has quæ Larissæ subigebant fertilis arua.

Dux his Hippothous, fortis cum fratre Pylæo,

Teutamidæ Lethi bona proles uterque Pelasgi.

Hæc uerba memorabilem Pelasgorum multitudinem indicant. non enim gentem, sed gentes dicit, & Larissæ illis sedes adscribit. De multis autem Larissis oportet intelligere aliquam uicinam. quod rectissimè de ea quæ Cumæ propinqua conieceris. De tribus enim Larissis ea quæ iuxta Hamaxitum, planè in conspectu Ilij, nimisque uicina erat, intra ducentessimum ferè stadium. ut non probabiliter dici uideatur, Hippothoum in certamine de cadauere Patrocli cecidisse

Larissa.

Longè à Larissa. —

Iliad. 9. 301.

Magis hoc Larissæ iuxta Cumam sita conuenit: nam ad cix stadia interueniebant. Tertia Larissa est pagus agri Ephesij in campo Caystrio: quam olim fuisse urbem aiunt, & habuisse templum Larissæ Apollinis, Tmolo quàm Epheso uicinior, cum ab hac absit cxxc stadia, & Meonibus idè adscribi possit. Ephesij autem postmodo aucti, multum regionis Meonibus, qui nunc Lydi usurpantur, abstulerunt: ut ne hæc quidem sit Pelasgorum Larissa, sed isthæc potius. Nullum enim de Caystriana Larissa habemus certum argumentum, eam tēpore belli Troiani iam fuisse: cum ne de Epheso quidem habeamus. De Cumis uicina autem Larissa testimonium fert omnis Aeolica historia, paulo post Troiæ excidium gestarum rerum. Narrant enim Græcos à Phricio Locrico monte supra Thermopylas profectos, consedisse ijs in locis ubi nunc Cuma est. Cumq; offendissent Pelasgos adflitos quidem bello Troiano, Larissam tamen adhuc tenentes: aduersus eos exstruxisse eum qui etiamnum dicitur longus murus, xxx à Larissa stadijs. rediisse deinde ac Cumam condidisse, eoq; superstitum hominum coloniam deduxisse. a monte Locrico & Cumam Phriconidem dictam fuisse, & Larissam, quæ nunc est deserta. Fuisse autem Pelasgos magnam gentem, ex alijs etiam historijs aiunt testatum reddi posse. Etenim Menecrates Elaita in libro de origine urbium, oram maritimam uniuersam quæ nunc Ionica dicitur, sumto à Mycale initio, itemq; uicinas insulas, sedem fuisse Pelasgorum. Lesbij uerò sub Pylæo se ad illium militasse aiunt, quem Pelasgorum ducem facit Homerus. à quo etiamnum mons Pylæus in Lesbo nomen habeat. Chij quoque à Pelasgis se conditos affirmant è Thessalia profectis. Vaga autem gens fuit Pelasgorum, & ad migrationes præceps, & incrementa ac decrementa magna ac subita tulit: maximè sub Aeolensium & Ionum transitum in Asiam. Peculiare aliquid omnibus Larissæis usu uenit, Caystrianis inquam, & Phriconensibus, & Thessalicis: quod nimirum ager eorum in gesta à fluuijs terra solet integri. id faciunt Cayster, Hermus, & Peneum. Larissa Phriconide ferunt cultum honoribus fuisse Piasum. quem ferunt cum Pelasgorum princeps esset, filia, q; deperibat, suæ Larissæ uim fecisse: atq; huius cōtumeliæ poenas dedisse. cum. n. eū in doliū uini plenū despicientē Larissā deprehendisset, arreptis crurib. eū sublimē erexit, inque doliū deiecit. Huiusmodi sunt antiqua. Aeolicis quæ nunc sunt urbibus, Aegæ etiam addendæ sunt, & Temnus patria Hermagoræ, qui præcepta artis rhetoricæ scripsit. Sitæ sunt urbes ex ad montana quæ supra agrum Cumanum, Phocæum, & Smyrnæum iacent, per quem Hermus fluit. Non procul ab his urbibus Magnesia abest quæ sub Sipylo dicitur, à Romanis libera iudicata. hanc etiam læserunt terræ motus nuper facti. In contrariam partem quæ ad Caicum inclinant, à Larissa si Hermum transeas usque Cumam, lxx stadia sunt. hinc Myrinam xl. inde Grynium tantundem. deinde

* Elæam * Ut autem Artemidorus, ab Ida sunt Adæ. tum promontorium xl stadia, q; Hydram uocant. ea sinum efficit Elasticum opposito promontorio * Si à sinum faucibus per latum in sinu nauiges lx stadia, ad Myrinam uenies urbem Aeolicam portu aptam. Inde Achæorum portus, ubi aræ sunt xii deorum. oppidulū deinde Myrinæorum, Grynium, & fanum Apollinis, uetusq; oraculum, & templum sumtuosum ex albo. eò usque stadia sunt xl. Hinc lxx ad Eleam, quæ urbs Attalicorum regum, portum habet & stationem nauium. condita est à Menestheo & Atheniensibus qui cum eo ad illium fuerunt profecti. De Pitana, Atarneo, ac reliquis deinceps, dictum est superius. Aeolicarum urbium maxima est & præstantissima Cuma: eaq; & Lesbos reliquarum Aeolicarum urbium quasi matres sunt, quæ ferè xxx numero fuerunt. nam earum haud paucæ interierunt. Cumæos stoliditatis notant, ob hanc (ut nonnulli putāt.) opinionem: quod ccc ab urbe condita demum anno portorium exegerint, neque antè eum reditum populus perceperit. itaque opinio obtinuit, sero admodum eos sensisse, maritimam se urbem habitare. Alia etiam fertur ratio. Publico Cumæos nomine pecuniam mutuam cepisse, pignori oppositis porticibus. quā cum non reddidissent ad diem dictum, prohibitos fuisse ambulationibus imbribus tamen accidentibus creditores uerecundia ductos præconis uoce eos inuitasse, ut sub porticus subirent. proinde cum præco clamaret, sub porticus subite: diditum sermonem, Nescire Cumæos imbribus decidentibus subeundū esse sub porticus, nisi præconio admonerentur. Citra controuersiam est, hac in urbe natum fuisse

Iliad 8.343.

De Aeolicis
urbibus.

Cuma.

fuisse Ephorum, uirum memoria dignum, Isocratis rhetoris discipulum: qui historiam conscripsit, & de inuentionibus. Ante hunc ibidem editus est Heliodus poeta. ipse enim narrat Dium patrem suum Aeolica relictam Cuma in Bexotos commigrasse. ubi quidem

Operibus 637.

In misero pago confedit, pone Heliconem,
Astra: non ullo quæ tempore commoda prebet,
Tempore non minus hyberno, quam æstate molesta.

Homerum fuisse Cumam non est in confesso apud omnes. Nomen aiunt urbi factum ab Amazone: ut & Myrinæ ab ea quæ sepulta est in Troiano campo sub Batiâ

Sanè homines illam Batiâ nomine dicunt,
At diu celeris cursu monumenta Myrinæ.

Ephorus notatur falsè, quod in rerum gestarum enumeratione cum nihil haberet quod à suis diceret actum, & tamen patriæ uellet mentionem facere, ita acclamauerit: Eo tempore quieti erant Cumæi. Postquam litus Troianum & Aeolicum peragrauimus: restat ut mediterranea etiam usque ad Taurum percurramus, eodem seruato ordine. In his locis principatum tenet Pergamum, urbs illustris, & quæ multo tempore rebus secundis floruit sub Attalicis regibus. Hinc ergo peragrationis ducemus principium. primo quæ loco breuiter ostendemus, unde reges isti orti, & quis eorum fuerit finis. Pergami gazam suam adseruabat unus de Alexandri Magni successoribus Lyfimachus Agathoclis F. erat autem conditum in ipso montis uertice: qui mons comi forma in acutum cacumen desinit. Huius munitionis & thesauri custodia commissa fuit Philetæus Tiano, qui à puero contusis testiculis euiratus fuerat. nam spectaculo quodam funebri, in magna hominum frequentia, nutrix eum gestans etiamnum infantem in turba hominum deprehensa adeo fuit oppressa, ut pueri etiam colliderentur genitalia. Erat ergo eunuchus. sed liberaliter educatus, uidebatur isto munere dignus. Ac fuit is Philetæus aliquandiu fidelis Lyfimacho. sed odio Arsinoës correptus, quæ eum falsis criminationibus detulerat: castellum à fide Lyfimachi abduxit, & pro temporum opportunitate rem gessit, quæ rebus nouandis sentiebat idonea. Etenim Lyfimachus domesticas in calamitates il lapsus, coactus erat filium Agathoclem necare. Superueniens autem Seleucus Nicator eum euerterat, atque ipse etiam per dolum à Ptolemæo Cerauno necatus perierat. In his turbis Philetæus suo in castello mansit, semper potentior ac sibi propior, pollicendo demerendoque lactans. atque ita per annos xx dominus mansit castelli ac pecuniæ. Duo ei fratres fuerunt. de his natus maior Eumenes filium Eumenem genuit, qui hæreditariò Pergamum accepit, iamque uel orbem circum sita loca in sua potestate habuit: adeo, ut etiam apud Sardes prælio congressus Antiochum Seleuci F. fuderit. mortuus est, cum imperium per annos xxii tenuisset. Ei suscepit Attalus, Attali (qui minor natus frater Philetæi fuit.) & Antiochidis Achæo natæ F. Hic primus rex salutatus est, cum magna pugna Galatas uicisset. socius Romanorum fuit, eosque in bello contra Philippum iuuuit, Rhodiæ coniunctus classi. Regnauit annos xliii, & senex è uita decessit: relictis ex Apollonide Cyzicena muliere filiis quatuor, Eumenæ, Attalo, Philetæo, Athenæo. De his tres natus minores priuati uixerunt: Eumenes natus maximus regnauit. Hic quoque Romanorum socius fuit in bellis aduersus Antiochum Magnū, & Perseum. accepitque à Romanis quidquid Asiæ intra Taurum Antiochus possederat: cum ante sub Pergami ditione fuissent pauca quedam loca usque ad mare, iuxta sinum Elaiticum & Adramyttenum. Hic urbem adornauit Pergamum, & lucum Niciphorium conseruit: urbemque ita ut nunc est auctam donarijs & bibliothecis exornauit. & cum regnum per annos ii gessisset, id filio Attalo reliquit, quem sustulerat è Stratonica filia Ariarathis Cappadocum regis. Tutorem regni reliquit, & filij admodum paruo natus, fratrem suum Attalum. Hic Attalus cum regnum per annos xxi administrasset, ætate grauis obiit diem suum, magnis multis gestis rebus, nam & Alexandrum Antiochi F. adiuuit in debellando Seleuco: & Romanos contra Pseudophilippum: & in Thraces expeditione facta, regem eorum Diegylin cepit: & Prusiam interfecit, substituto ei filio Nicomede. Regnum Attalo, cuius tutelam gesserat. Hic Attalus, cognomento Philometor, quinque annos regnauit: uitaque è morbo abiit, Romanis hæredibus nuncupatis. Hi

liad. 8. 813.

De Pergamo & Attalicis regib.

ditionem illam in prouinciæ formam redegerunt, Asiamque de continentis eius nomine appellauerunt. Pergamum præterfluit Caicus per campum ualde opulentum, qui Caicus dicitur, ac ferè optimam partem Mysiæ. Nostra ætate Pergameni uiri memorabiles exstiterunt Mithridates & Menodotes filius, & Adobogion tetrarchiæ Galatarum stirpis. & Mithridates, quem regis catamitum fuisse aiunt, ideoque hoc ei nomen necessarios fecisse, quod fingerent rege natum. Is D. Cæsari amicus factus, eo usque honoris est protectus, ut etiam tetrarcha materni generis crearetur, rexque cum aliorum tum Bospori. euerit eum Lyfander, qui & Pharnacem interfecit, ac Bosporum obtinuit. Huius ergo nomen magnum fuit. Nec non Apollodori rhetoris, qui artis præcepta conscripsit, & sectæ Apollodoreæ autor fuit: si qua tamen ea est. Multa enim inualuerunt, quæ maiore quam nostro dijudicanda sunt arbitrio. de quibus sunt etiam Apollodorea & Theodorea. Maxime extulit Apollodorum amiciciæ Augusti Cæsaris, quem dicendi arte instituit. Discipulum habuit memorabilem, Dionysium ciuem suum, cognomento Atticum, qui & sophista fuit bonus, & historiæ orationumque scriptor. A Pergamo & planicie progressus uersus orientem solem, Apolloniam inuenies, sublimibus inlitam locis. Versus austrum montosum est dorsum: quo superato, in itinere uersus Sardes, urbs est Thyatira, Macedonum colonia, quam ultimam Mysorum esse sunt qui dicant. Ad dextram est Apollonis, xxx stadiis à Pergamo, totidemque à Sardibus: idem cum Cyzicena nomen gerens. Sequitur Hermi campus & Sardes. quæ à Pergamo uersus Aquilonem sunt, ad dextram pleraque à Mysis tenentur, qui Abletes nominantur: quibus contigua est Epictetus, usque ad Bithyniam. Sardes urbs est magna, recentior quidem rebus *Lydia.* Troianis, antiqua tamen. arcem habet probè munitam. regia fuit Lydorum, quos Homerus Meonas è longo, posteriores Mæonas dixerunt: alij cum Lydis eosdem, alij diuersos autumantes. præstat autem eosdem censere. Supra Sardes Tmolus est. Sardibus imminet Tmolus, mons diues, in fastigio speculam habens exedram albi lapidis, Persarum opus: unde conspici possunt in orbem circum siti campi, maxime Caystrius. Circum accolunt Lydi, Mysi, Macedones. è Tmolo Pactolus defluit, qui antiquitus ramenta auri secum deferebat copiose: unde Cræsi & eius maiorum diuitias nomen celebre habuisse tradit. nunc defecerunt ramenta. Defertur in Hermum Pactolus, ut & Hyllus. atque hi tres coniuncti, adsumptis etiam ignobilioribus alijs, in mare Phocææ proximum effluunt, *lib. 1.* ut Herodotus ait. Mysiam quoque attingit Hermus, è monte Dindymenæ sacro prolapsus: & per Catakekaumenem in Sardianam fertur per continuos, ut diximus, ad mare usque campos. Sardibus subiecti sunt, Sardianus, Cori, Hermi, Caystrique campi, contigui inter se, omniumque camporum optimi. Intra xlab urbe stadia lacus est, Gygeus Homero, recentioribus Coloë dictus: ubi Coloënes Dianæ templum est, magna cum sanctimonia cultum ibi ferunt 16 simtas diebus festis saltare: nescio cur aliena à fide malint, quam uera dicere. Iam cum Homeri uersus ita habeant.

Iliad. β. 864. Meonibus Malthes, atque Antiphus imperitabant:
Protulithosce palus Gygeæ, & Palæmeneus natos,
Mæonibus natis sub Tmolo qui imperitabant.
quidam hunc quartum adscribunt
Pinguis Hydæ in pagis, sub Tmoli saxa niuosi.
cùm quidem nulla sit in Lydis Hyda. Alij hæc etiam Tychio patriam tribuunt, de quo poëta dicat:

Iliad. α. 221. Ille habitabat Hydæ.—
Addunt locum syluosum esse, & de cælo sæpius tactum. ibique Arimos ponunt. nam canente Homero

Iliad. β. 783. Ponè Arimos, ubi habere cubile Typhoëa dicunt:
subijciunt,
Ad pinguis quercetæque Hydæ.—
Fabulam hanc alij in Ciliciam, quidam in Syriam reijciunt. Sunt qui Pithecusis adscribunt, & Pithecos. (hoc est Pithecos.) Etrusca lingua arimos dici tradant. alij Sardes Hydædam nominant, alij arcem eius. Sceptius maxime eos probat, qui Arimos in Mysia combusta

bulsta (id enim est Catacecaumene.) ponunt. Pindarus cum Cicaliis ea quæ Pithecusarum sunt, ante Cumas sitarum, & quæ in Sicilia. Ait enim Typhonem Aetnæ subiectum.

Quem quondam Cilicum

Nobile protulit antrum. modò

Litora supra Cumas mare quæ profligant,

Et Trinacria præmit eius

Hirsutum insula pectus.

& alibi.

Huic Aetna immane uinculum superincumbit.

ac rursus;

Qualis immensum Iupiter Typhonem

Quinquaginta mouentem capita prostrauit

In Arimis quondam.

Sunt qui Arimorum nomine Syros intelligunt, qui nunc Arami dicuntur. & affirment Cilices è Troia pullos in Syriam migrasse, Syrisq; eam ademisse quæ nunc est Ciliciam. Callisthenes prope Calycadnum & Sarpedonium promontorium ad ipsum Corycium antrum Arimos ponit, à quibus & uicini montes Arimi dicantur. Circa lacum Coloën monumenta sunt regum. Ad ipsas Sardes tumulus est Halyattis, agger magnus in sublimi positus crepidine: factus, ut ait Herodotus, à multitudine oppidana, ita ut puel la maiorem partem operis confecerint. eas idem omnes prostituisse corpora sua tradit. quidam etiam scortis id sepulcrum esse dicunt. Non desunt, qui lacum manu factum affirmant Coloën, ut exciperet abundantem fluminum eluue aquam. Hypæpa urbs est, quâ descenditur à Tmolo ad Caystrium pratum. Captas ait Sardes Callisthenes primum à Cimmeriis, deinde à Treribus & Lyciis: idque etiam Callinum elegiarum scriptorem ostendere. postremò in Croësi & Cypri potestatem uenisse. Cum autem Callinus dicat Cimmerios in Esioneas impressionem fecisse, qua Sardes ceperunt: conijcit Sceptisus Ionice eum Esioneas pro Alsioneas dixisse, id est Alsios, quòd nimirum Meonia dicta esset Asia, quomodo & Homerus loquitur:

Alsios est ubi campus, ad alta fluente Caystri

Urbs hæc deinde ob uirtutem soli præclare resecta, ut nulli uicinarum gloria cederet, nuper magnam domiciliorum partem terramotibus amisit. Tib. autem Caesaris, qui nostra ætate rerum potitur, prouidentia & hanc & complures alias beneficiis reparauit, eodem tempore eadem calamitate afflictas. Viri memorabiles Sardibus natæ sunt, Diodori oratores duo eiusdem generis, quorum maior cognomento fuit Zonas, qui uir multa certamina obiit pro Asia. & inuadente eam Mithridate rege, cum ei sollicitatarum ad defectionem ab eo urbium crimen esset intentatum, purgauit se, ac crimina diluit. Iunioris, quo uisum sumus amico, exstât historiæ uolumina, odæ, & alia carmina, antiquam formam scribendi satis referentia. Xanthus antiquus historiæ scriptor Lydos perhibetur: an Sardibus natus fuerit, nescimus. Post Lydos Mysii sunt, & urbs Philadelphæa crebris uexata terre motibus. nunquam enim desinunt muri ruinam minari, aliâsq; alia pars urbis labefactari. ea de causa pauci urbem inhabitant: plerique ruri uiuunt, agrosque, quos habent optimos colunt. sed & paucos istos mirare licet, quòd tanto loci studio tenentur, cum habitent periculose. magis etiam mirari licet quid conditoribus urbis in mentem uenerit. Sequitur regio quæ Catacecaumene, id est combusta dicitur, longitudine etiam 10 stadiorum, latitudine cccc: siue ea Mysia est, siue Meonia appellanda. utrunque enim traditur. Arboribus prorsus caret, demta uite quæ uinum Catacecaumenes gignit, nullo nobilium uinorum deterius. Camporum superficies est cinerica: montana & saxosa nigri sunt coloris, ueluti ex adustione. Itaque sunt qui à fulminibus & cœlitus immissis ignis procellis id accidisse dicant: neque dubitent eò referre fabulam Typhonis. Xanthus etiam Arimûn quendam istorum regem locorum ponit. Non est autem consentaneum tantum regionis tali casu fuisse confertim adustam: sed ab igni potius è terra enato, cuius nunc defecerint fontes. quin & tres fossæ monstrantur, quas Physas, hoc est folles, appellant, inuicem ad xl stadia distantes: quibus asperi imminant colles, quos accumulatos è glebis sursum efflatis probabile est. Viti feram uerò probè hanc regionem esse, intelligi ex agro potest Catanensis: qui cinere oppletus, nunc

uini

Pythijs Oda 1.

Iliad B. 48.

Catacecaumene

uini boni largè suppeditat copiam. Et quidam facetè iocantes, conueniēter aiunt Bæchum ignigenam dici, argumento ex his locis ducto. Quæ deinceps ab his locis uersus meridiem sunt usque ad Taurum, implicata sunt: cùm Phrygiæ, Lydiæ, Cariæ, Mysiæque partes inter se concurrentes discerni nequeant, ad quam confusionem haud parum fecit, quòd non per gentes Romani loca ista diuiserunt, sed alio modo diœceses seu præfecturas instituerunt, in quibus fora sunt & ius dicitur. Tmolus quidem satis est determinatus, mediocrem habet circumscriptionem in ipsis Lydiæ partibus. Mediterranea in oppositam partem porriguntur usque ad Mycalen à Celanis sumto initio, ut autor est Theopompus. Eorum partem Phryges tenent, iuxta Celanas & Apameam: alias Mysi & Lydi, alias Cares & Iones. Sic & fluuij, maximè Mæander, partim distinguunt gentes, in alijs per quas medijs fluunt certum discrimen ambiguum faciunt. eadem est ratio camporum in utroque montium & fluuiorum latere. Neque nobis etiam usque adeò horum cura habenda, aut inanis regionum dimensio instituenda est: suffecerit ea descripsisse, quæ ab alijs ante nos tradita sunt. Caystriano itaque campo, qui medio loco inter mediterranea & Tmolum incidit, uersus orientem conterminus est Cilbianus campus magnus & habitationibus probè aptus, agrique fertilis. Sequitur Hyrcanius campus, quem sic Persæ nominauerunt à colonis ex Hyrcania eò adductis. Tum Cyri campus ita à Persis denominatus, inde Peltinus, Phrygiæ iam, & Cillanius, ac Tabennus, oppida habens semè Phrygia, Pisidicum etiam quidpiam habentia, unde ijs nomen. Supra mediterraneam sunt regionem, quæ inter Cares & Nyssidem est. hæc regio est trans Mæandrum usque ad Cybiratidem & Caballidem. In mediterraneis ex aduerso Laodicea est Hierapolis, ubi aquæ sunt calidæ, & Plutonium. quorum utrumque

*Aquæ mirum.
Plutonium.*

insolens aliquid atque mirum habet. Aqua enim ita facile in callum coit atque induratur, ut riuis deductis sæpes è solido lapide constantes operentur. Plutonium sub paruo supercilio montis supra incumbentis foramen est modicum, quanto possit homo recipi, admodum profundum. inclusum est cancellis quadrangulis, ambitu dimidij circiter iugeri. Id foramen oppletum est nebulosa & crassa caligine, ut solum uix possit conspici. Enimuerò qui in orbem ad cancellos accedunt, nihil incommodi aer adfert, qui nouilunio tempore ab ea caligine est purus, & intra cancellos se continet. Intrò autem accedens animal illicò mors excipit. tauri quidem intrò adducti, mortui extrahuntur. & nos passeris immisimus, qui extemplo exanimati conciderunt. at electi Galli siue damno accedunt, etiam usque ad foramen, inque id introspiciunt, & aliquantisper cōpresso plurimum spiritu subeunt. nam ex aspectu depræhendimus suffocaticis cuiusdam affectionis speciem, siue omnes ita eo implentur spiritu, siue ij duntaxat qui circa templum agunt. & siue diuina id sit prouidentia, ut par est in diuinis furoribus: siue remedijs quibusdam aduersantibus pesti ei. Aquæ autem in lapidem mutationem aiunt etiam Laodiceæ fluuijs accidere, quanquam potabilibus. Est & ad lanas tingendas mirum in modum adcommodata aqua Hierapolitana: ita ut è radicibus facta tinctura coccinam & purpuream æquet. tanta autem aquæ copia est, ut tota urbs plena sit balneorum sponte sua ortorum. Post Hierapolin trans Mæandrum sita, ut Laodicea Aphrodisias, & Carura, sunt iam explicata. Versus occasum sequitur Antiochea ad Mæandrum, Cariæ iam uersus meridiem Cibra magna, Sinda, Caballus, usque ad Taurum & Lyciam. Antiochea mediocris urbs est, ad ipsum sita Mæandrum ab ea parte qua is Phrygiam spectat. pontei unctus est fluuius. ad utramque eius ripam ager est urbi, omnis locuples. plurima ibi ficus nascitur, unde caricis Antiochenis nomen, quæ & triphylla quasi trifolia nominantur. is quoque locus obnoxius est terræ motibus. In hac urbe natus fuit nobilis sophista Diotrepes, quem audiuit Hybreas oratorum nostra ætate coryphæus. Solymos esse dicunt Caballenses. & sanè tumulus qui supra Termesium iacet promontorium, Solymus appellatur: ipsi Termesij uocantur Solymi. Propè est & uallum Bellerophontis, & Pasandri tumulus, filij eius, qui in pugna aduersus Solymos cecidit. Singula hæc Homeri consentiunt dictis. nam hic de Bellerophonte hæc habet:

Ilia 3. 184.

Post illam Solymis illustribus intulit arma.

& de

& de filio eius:

Pesandrum Solymos contra dum prœlia miscet,
Mars stravit natum generoso Bellerophonte.

203.

Termessus urbs est Pisidica, maximè & proximè supra Cibyram sita. Cibyrate di-
cuntur prognati à Lydis qui Caballidem obtinuerunt. urbem Pisidæ finitimi tran-
stulerunt & condiderunt aptissimò loco, cuius circulus stadiorum fere c. Creuit ob
legum bonitatem, & pagi eius porrecti à Pisidia conterminaque Milyade usque ad
Lyciam & Rodo oppositam continentem. Accedentibus autem tribus finitimus ur-
bibus, Bubonibus nempe, Balburis, & Oenoandro, conuentui huic nomen Tetra-
polis est factum: una quæ uis urbs suum habuit suffragium, Cibyra duo: quippe quæ
mitteret xxx peditum, duo equitum millia. Semper eam tyranni, sed modeste tamen
tenuerunt. In Moagere desijt tyrannis, quem Murena deiecit, & Balburam ac Bu-
bonem Lyciæ adiecit. Nihilò secius inter maximas Asiæ præfecturas Cibyrica ha-
betur. Quatuor linguis usi sunt Cibyrate, Pisidica, Solymorum, Græca, Lydia:
cuius ne uestigium quidem in Lydia superest. Id Cibyra habet peculiare, quod fer-
rum facile apud eos tornatur. Milyas est, quæ ab angustijs apud Termessum & tran-
situm Tauri ad interiora per eas angustias porrigitur ad Sindam monta-
na regio, usque ad Sagalassum, & Apa-
meam ditionem.

Cibyra

IN LIBRVM DECIMVMTERTIVM INTERPRETIS ANNOTATIONES.



OCVM Homeri facile fuit
sibi restituere, sed uidentur ali
quot saltem uerba excidisse. E-
go ut potui Latine ita exscri-
psi locum, ut ne hiaret.

2 Summitatem.] Α-
κρόντος πορ quid uocis sit, ne-

scio prauam puto. mox καὶ τὸ λεκτὸν πρῶτα, men-
dosam est. Locus de Gargaro est apud Homer. Iliad. ξ.
292. meminit & Iliad. θ. 48.

3 Hic locus est cōfusus: sed in epitomis explicatur.

4 Aristæus.] In textu est Ἀριστᾶς & Aristæus.
Sed ego Suidam, Plutar. in Romulo, aliosq; sum secu-
tus. quanquam Plinius etiam Aristæum uocat lib. 7. ca-
pit. 52. ut quidem hodie legitur, itaque utrumq; posui.
Proconnesum scio à quibusdā Præconnesum scribi, Προ-
κόννησον. sed id alibi exposui. Quid est autem σεῖρος
τῆς Χερσῆς: ἀπιστῆρα aut περσῆρα puto. Paulo pōst αἰ-
κολῶνα. αἰ legi & reposui Aldina lectione ducente
ad ueritatem rei. Λοκολῶν.] Aldo Λικολῶν.

suspicio fuisse Λευκὴ Κολῶν, aut Λευκοκολῶν.

5 Hæc uerba in Græco fortassis ita scribenda sunt.
Διὸ καὶ εὐπετέστερον Ε. Τ. Σ. διαλέγουσι, παραλα-
βόμενοι μ. & c. ἀφ' ἑνὸς & παραλεκτέον liquidò
erant falsa. mox καὶ τὸ χόνω.] Lego καὶ τὸ χόνω.

6 Μάντε προσφέρει.] Verti hoc ut inueni. quan-
quam ualde suspectum. Χιλιόναος σόλ & est uel ex
Euripide notus. Aliquanto infra Rœteum Troadis resti-

tui: causam in Onomastico reddidi.

7 Ammisso clypeo.] Locus misere est depræ-
uatus. rei mentio exstat apud Herodotum τρεῖς χό-
ρη, & eius (arbitror.) non iniquum ea in narratione
censore Plutarchū πρὸς Ἡρόδοτον κακονθείας. Phry-
nonem à Pittaco fuisse interemtum retiaria astutia, id
sanè liquet etiam è Diogene Laertio, Suida, alijs. Alcæi
uersus emendare non sum aggressus, ne cōiecturas uen-
ditatē, & de re nō magna magnos ronchos experirer.

8 Siue supplicationem.] Locus est lacer. et
quanquam Eustath. in Iliad. ξ. 92. adducit quædam, ni-
hil tamen habet, quod huic medeatur. Epitome habent
θηάσι pro ἡάσι: & γυνάσι pro supplicationi-
bus accipi ostēdunt (atq; hinc est γυνά & ἡά apud Ho-
merum sæpius usurpatum.) Idem innuit Eustath. γυν-
νάσι & ἡάσι interpretari quosdā dicens. Sed
altera interpretationum, quam Strabo itidem impro-
bat, excidit. Exemplum dicis denouendi instauratorem
urbis euerse, habes in sacris etiam litteris. Iosue cap.
6. & euentum 2. Reg. 16. Infra de Hellanico αἰ & ε-
κείνους μὲν & lego θυμὸς. est particula Homericæ
uersus.

9 Censemuscq; in pleriscq;.] Non est dubium,
quin ad Demetrium Scepsium hæc pertineant: Sed in
Græco uerba nō coherent, paulo antè pro τὰ γματὰ
legi πλάσματα.

10 Obinopiam.] Κατὰ ἀπειρίαν mallem; &
ἐν ἀντὶ τῆς Λατινῆς injicerem. nō enim Latinis, sed
Aeneæ

Aeneae comitibus hoc accidit. Oraculum exstat & alibi & III. Aeneid. & mense uorata lib. VII. pro Elymno supra uide an sit Elymius. Consule ad hanc Dionys Halic. antiq. Rom. lib. 1. Συμνογορεῖν ὁ δὲ τῆς τοῦ.

11 Aut uicissim.] Asteriscum adieci, nam deest aliquid nisi quis fortasse Ciliciam quandam cognomento ἐμπαλίαν nouit. Sanè in Epitomis est Cillam & Cilices ab hoc dictos Cillo. Paulò supra pro LX. stadiis Eustath habet LXX. Locum aut de Hercule Cornopione & ceteris ex Eustathio restitui, cū esset ualde uitiatus. Eustathianam aut lectionem confirmant ea quae in Lexico ex alijs autoribus sunt annotata, quae miror Gyrado non accedisse ad animum, qui hunc locum deprauatum, quanquam non nominatim, in suadeorum historia adduxerit. Quid sit μελιθῆς, non satis conijcio. μηλιθῆς uel Maliunta malle. intelligo de Erythraeis quorum urbis in Boeotia meminit Elin. 4. 7. qui à Maliaco sinu non ita procul abfuerunt. Sed haec est coniectura infirma. Quid autem sit illud μῆσις, non inuenio. Interpres μῆσις τῆς legit: quid secutus, ignoro. Pòst ποταμῶν χαλὰ ῥέων.] Credo hoc dixisse fluuiorum aut torrentium eluione ista loca deleta esse. infra de Sagra, quid sit σαπρωδῶδης, dicā ubi didicero, interim mendum credam.

12 Hermeiae tyranni.] Ἐρμῆς. non puto nihil de hoc dixisset, nulla prius facta eius mentione. de Hermeida itaq; excepti cuius historia supra fuit explicata. mox νῆσον ἔχοντες.] Lego, dum quid melius offeratur, ἀνέχοντες.] Νησις τῆς fortè. ἀπὸ στόγης.]

ἐπὶ στόγης fortè, cui onus iniicitur. ECyno.] Hæc urbs est Locridis nobilis: Cygno nihil hæc rei. Pater Auges media per e constanter scribitur ab Apollodoro in bibliotheca.

13 Διωνομασμίνας uox est correctionis indigens. Sed ἰδὲ pro ἡδὲ cur scripserim, nemo eruditus quaeret. Temnon restitui. quanquam alij Timnon legunt. uide de Onomasticum nostrum. Pro Ἀνίας Ἀσίας legendum, indidem disces.

14 Si ad dextram.] Obscurum hoc non est, à Methymna ad Maleam nauigantibus Lesbos ad dextram, oram continentis ad laeuam haberi. itaq; πρὸς ἀλῆαν νῆσον est legendum. νῆσον erat, quod cum interpres non concoqueret, reiecit. Sed & circumscriptio in sulæ Ptolemaica parum consentit, maxime cum Sigrium facit Ereso quàm Pyrrha propius. de Arginusis δ' ante μεγαλαὶ iniecti ex rei ueritate.

13 Et Phantias.] Græca non mutauī. Sic tamen habet uetus, & Epitomæ.

16 Simias.] Apud Eustath. in uersus Homeri qui mox citantur, non πῆνκς est, sed καλὰ βῆς: ut spoutulæ seu calathi saltauerint. In uersibus retinui Strabonianam lectionem ut inueni. Mesthien alij scribunt, & Eustathius. idem non Pal. Sed Talamenem habet, atq; etiam ἐτυμολογεῖ nomen hoc. alij Pylamenem nominant.

17 Pisandrum.] Homero Isander est. Sed quòd etiam supra lib. XII. sic habetur, uolui Strabonianam lectionem hæc retinere.:

FINIS.

STRAB.